C. 47. e.

TARQVINII GALLVTII SABINI E SOCIETATE IESV

VIRGILIANAE VINDICATIONES

& Commentarij tres

DE

TRAGOEDIA

COMOEDIA

ELEGIA

Cum Priuilegio

ROMAE, Ex Typographia Alexandri Zannetti. 1621.

Superiorum Permissu.

Iano Gallutio Nepoti suo
Autor d.d.

SERENISSIMO PRINCIPI

FERDINANDO GONZAGAE MANTVAE DVCI.

TARQVINIVS GALLVTIVS. F.

VEREOR equidem, Sereniſsime Princeps, ne ſic temerarium ſit, iſtius tutelam gratiæ Commentarijs hiſce tam vilibus expetere, quemadmodum ſuperbum eſſet, nullum omnino tam imbecillis fœtibus auxilium quærere. Cœpit inter eos, qui ſcripta produnt in vulgus, vſitatum eſſe iam artis genus, eleuare pretium operis ſui, merciſq. propoſitæ deſpicientiam per ſimulationem officij profiteri. ſed quæ alijs aſsimulata modeſtiæ ſpecies eſt, ea mihi ſine fallacijs, & fuco veritas, ac ſimplicitas eſſe debet; qui penitus intelligam huius mei futilitatem laboris, & fructum induſtriæ leuem, aſpectum, lucemq. non exoptantem. Ac ſtatueram ego quidem, quicquid hoc erat à me, vel temere fuſum, vel obſeruatè compoſitum omnino premere; aliaq. potius Ethicæ perficere meditamenta doctrinæ, quæ mihi nunc Ariſtotelem interpretanti ſunt in manibus affecta, & primis tantum initijs inchoata. Sed dum molior, & nocturna,

diurnaq. opera materiam verſo, ex rei magnitudine video mihi deeſſe ingenium, ex valetudine ſentio conatum operi non ſatis eſſe. Interiungere adeò, ac poſita interim manu de Moralium tabula, ſubſiſtere decreui; quæque melius fortaſſe inter aduerſaria continuiſſem, in publicum emittere: vt in viuentium numero me probarem eſſe non otioſum, nec fruges viderer omnino conſumere ſine fruge. Cauſam verò cur hæc honori tuo non dubitarim inſcribere, nemo quæret, qui meum erga te vetus obſequium litteris quoq. conſignatum agnouerit, & harum argumenta ſcriptionum inſpexerit, quæ non alium oppidò, quàm te præſidem ſibi depoſcunt, ac dominum. Vindicatur in his poëtarum apex, faſtigiumq. Virgilius: qui quoniam ſi viueret, in tuo profectò viueret, debet etiam mortuus inuenire defenſionem, & requietem in tuo. Explicatur in ijſdem antiqui Dramatis, Elegiæ, ac totius pene Poëticæ ratio. At vnus tu, quod magni Principis erat, opulento Choragio, machiniſq. faberrimis antiqui Theatri miracula reddidiſti minora, & quod erat ingenioſiſſimi, ſic Poëticam adamaſti, vt non modo poëtas ipſos gratia foueas, & ſtudio, quod eſt commune multorum, ſed carmen etiam condere poſsis egregium, quod ſanè paucorum eſt, ac prope tuum. Nihil enim hic ego dico de illa tua diſciplinarum omnium comprehenſione perfectiſsima, quæ & in conſpectu mortalium eſt, & mihi ſatis amplum euulgatæ iam olim ſuppeditauit argumentum orationis. Tantum oro, vt munus hoc alioqui deſpicandum, ac tenue non aſperneris, meaſq. vigilias noctem iure poſtulantes, ac tenebras apparere ſub tuo nomine patiaris. Vale.

RE-

RECENSIO CAPITVM QVAE IN Virgilianis vindicationibus explicantur.

Ex Prolegomenis

quibus variæ poëtarum defensiones proponuntur ab Aristot. desumptæ.

Defensio prima ex eo petita, quòd poëtæ peccatum duplex sit, alterum proprium, & per se, alterum extrinsecus accidens, & quodãmodò alienum. pag. 1

Defensio secunda ex decoro, & ex eo, quòd poëta res fingat, quemadmodum decuit, aut oportuit esse. 4

Defensio tertia ex opinione vulgari, ac fama perueteri de re, quam poëta commemorat. 4

Defensio quarta ex vsu, & consuetudine illarum gentium, quarum actiones imitatur poëta. 6

Defensio quinta ex ijs, quæ rem circumstant. 7

Defensio sexta ex varia significatione eiusdem vocabuli apud gentes, & populos varios. 8

Defensio septima ex metaphora, verboq. translato. 10

Defensio octaua ex accentus mutatione, quæ longè variam eidem vocabulo significationem impertitur. 11

Defensio nona ex interpunctione, variaq. membrorum in oratione diuisione. 13

Defensio decima ex amphiboliæ, verborumque ambiguorum explicatione. 14

Defensio vndecima ex alicuius vocabuli vsu communi. 15

Defensio duodecima ex interpretatione alicuius vocabuli, cui multiplex, & varia significatio sit. 15

Defensio tertiadecima ex depulsione præiudicatæ alicuius opinionis. 16

Defensio quartadecima ex eo, quòd credibile sit, multa re ipsa fieri, quæ nos fieri non posse putamus. 17

Defensio quintadecima ex ratione, ac modo, quo à Dialecticis sophismata soluuntur, & elenchi. 18

Defensio sextadecima ex varijs doctorum hominum opinionibus, quarum singulas quantumuis pugnantes sequi, ac probare varijs locis poëta potest. 18

Quæstiones, quæ in ijsdem Vindicationibus expenduntur.

Ex primo lib. Æneid.

AN Virgiliani operis initium sit. Ille ego, qui, &c. 20.21.22
An Aeneas primus in Italiam venerit. 23.24
An absurdè, ac præter decorum Iuno Troianis fingatur infensa. 25.26
An Homero Virgilius anteferendus sit. 28.29.30.31
An Aeneæ notio aliqua, aut præparatio Virgiliano præponenda operi fuerit. 27.30
An Aeneas rectè in naufragio timens inducatur. 32. & seq.
An rectè ceruos in Lybia posuerit Virgilius, cedrosue, aut onagros in Italia. 37.38.39
An in Templo Didonis esse pictura debuerit. 40
An Dido Aeneæ fuerit æqualis, eademq. floruerit ætate. 41
An iure pius dicatur Aeneas. 47. & seq.
An cum Aeneæ pietate congruat, quòd viros octo viuos reseruarit ad bustum Pallantis immolandos, quòdq. Mago, Lucago, Turno supplicibus non dederit veniam. 53.54.55.56
An Cupidinis in Ascanium conuersio superuacanea sit, contraque mulieribus Troianis aliquod dandum hospitium fuerit, quod in opere desideretur. 56.57

Ex secundo lib. Æneid.

AN Poëticæ, atque Historiæ initia differre debeant inter se, & an rectè factum sit initium libro secundo. 58.59.60.61
Cur Aeneas tam sæpe dicatur Pater. 64.65
An dracones aliqui sint iubati vt scribit Virgilius. 65.66.67
Fuerit ne Phthius Achilles, an Larissæus. 68.69.70
An bene Troianorum aurum dicatur barbaricum. 71.72
An Aeneæ de occidenda Helena deliberatio à decoro discedat. 73

Ex tertio lib. Æneid.

AN rectè tertij libri narratio à narratione secundi seiuncta fuerit. 78.79
An molitio classis sub Antandro verosimilis sit. 80.81
Cur ad tumulum Polydori sanguis è fruticibus fluxerit, & an sacrificium illud in Thracia ritè peractum fuerit. 82.83
An Delos insula verè, aut verisimiliter mobilis aliquando fuerit. pag. 83.84.85
An Dij Penates, & vates Helenus rectè confugiant ad famam, nec aliunde rem cognitam habere videantur. 86.87
An Siciliæ ab reliqua Italiæ parte diuulsio ad Deos potius, quàm ad maris

maris vim referri debuerit. 87.88.89
Cur humilis dicatur Italia. 90.91
Quid in Aetnæ descriptione reprehenderint aliqui. 92.93

Ex quarto lib. Æneid.

AN Atlantis descriptio, Mercuriique ad eum montem digressio superuacanea sit. 94.95.96
An Draco peruigil ad Hesperidum hortos somnifero ali papauere debuerit, vt fingitur. 97.*vsq.ad* 101
Cur Dido moritura alterùm tãtum dicatur exuta pedem. 102.104.105

Ex quinto lib. Æneid.

AN triremis Chimæra rectè fingatur. 106.*vsq.ad* 110
An columba Veneri matri sacra rectè ab Aenea iaculatorum ictibus exposita fuerit. 111.*vsq.ad* 116

Ex sexto lib. Æneid.

AN rudentes nauium habenæ rectè dicantur. 117.118
An Inferorũ monstra supra fingẽdi leges excogitata sint. 119.120
An Palinurus Velinum portum rectè nominarit eo tempore quo nullus esset. 121.*vsq.ad* 126
An secum pugnet poëta, quòd Theseum apud Inferos æternum sedere scribit, quem antea dixerat ad superos euasisse. 127.128
Cur Dido apud Inferos inter amantes potius in campis lugentiũ, quàm inter eos, qui sibi mortem consciuerant posita sit. 129.*vsq.ad* 135
An rectè Græcorum Vmbræ, conspecto apud Inferos Aenea, perterrefactæ fingantur, quæ ab eo lædi non poterant. 136.137
An in laceratione Deiphobi aliquid Virgilius finxerit historiæ, rationiue contrarium. 138.139.140
Cur Syluius dicatur posthuma proles, qui Aeneæ longæuo, senique, non mortuo natus sit. 141.142.143
Quid geminæ somni portæ significent, & cur Aeneas, ac Sibylla ex eburnea sint dimissi. 144.*vsq.ad* 148

Ex septimo lib. Æneid.

AN cerui vulnus, ac mors, belli, quod inter Aeneam, & Latinos exarsit, idonea causa videatur. 149.150.151
An in catalogo militum Italorum aliqui numerentur inaniter, ac frustra, cum postea nihil agant. 152.153

Ex octauo lib. Æneid.

AN Imperatoris boni officium in Aenea desideretur, qui suos in magno discrimine deserit. 154.157.158
An licuerit Virgilio facere Tyberim, siluasq. mirantes. 159

Ex nono lib. Æneid.

AN Troianarum nauium in Deas metamorphosis reprehensioni obnoxia sit. 161.& *seq.*

Quæ

Quæ nam diei pars melior, quæue deterior à Virgilio, alijſque dicatur auctoribus. 167.168.169
An vera ſint, quæ de pueris gelu duratis in Italia ſcribit Virgilius: quarumue nationum ille mos fuerit. 170.171.172
Aquila ne cygnum in certamine vincat, vt fingit Virgilius, an contra vincatur à cygno. 173.174
An Inarime vox vna rectè ſit à Virgilio conformata, cum & duæ, & diuerſa ſignificantes apud Homerum ſint. 175.176
An flaui epitheton Tyberi fluuio rectè conueniat. 177.178.179.180

Ex decimo lib. Æneid.

AN Etruriæ, Italiæque loca ordine perturbato recenſere Virgilio licuerit in Catalogo. 181.182
Vn Virgilio pugnantes opiniones ſequi fas fuerit, ac dicere, diem obitus eſſe cuique fatalem, & mori tamen aliquos ante diem. 183.184.185
An veroſimile ſit, Lucagum ab Aenea fuiſſe nomine ſuo compellatum. pag. 186.187
An rectè Orodem moribundum inducat Mezentio vaticinantem exitium. 188.189

Ex vndecimo lib. Æneid.

AN cygni rectè dicantur à Virgilio rauci, cum ſint maximè canori. 190.191
An equus Pallantis rectè in domini funere lacrymans inducatur, cum lacrymæ vni datæ homini videantur, vt riſus. 192.vſq.ad 195

Ex duodecimo lib. Æneid.

AN ſingulare certamen inter Aeneam, & Turnum prudenter, & cum ratione fingatur. 196
An Virgilij poëma ſit abſolutum, ac perfectum, in quo nuptiæ, nouique regni inita poſſeſſio deſideratur. 198.& ſeq.
An in opere Virgiliano vna ſit fabula, & vna actio. 202

Ex tribus orationibus de Virgilij allegoria.

AN in Epopœia poëtarum vniuersè, nominatimque in Virgiliana lateat allegoria, & aliqua interioris doctrina philoſophiæ. 210
Num doctrina, & philoſophia, quæ comprehenditur in opere Virgiliano, de moribus, ac ciuili gubernatione ſit, an de natura. 220
An ipſa morum, & ciuilis doctrina, quæ in Aeneide continetur, certa ratione tradatur, ac via; ſic prorſus, vt perpetua, nec interrupta præceptorum ſeries ſit. 234

RE-

RECENSIO CAPITVM, quæ tractantur

In Commentario de Tragœdia.

Proœmium. In quo Notatio, Antiquitas, & Definitio Tragœdiæ traditur. pag.249

De fine, qui Tragœdiæ propositus est. Caput I. 251

De Tragœdiæ partibus vniuersè. Cap.II. 254

De Fabula. Cap.III. 254

De Moribus. Cap.IV. 257

De Sententia. Cap.V. 261

De Dictione. Cap.VI. 263

De Apparatu. Cap.VII. 266

De Scena. Cap.VIII. 269

De Machinis, & aulæis. Cap.IX. 271

De Histrionum indumentis. Cap.X. 273

Appendix. Ad Apparatum. de Tragœdiæ peragendæ, recitandæque ratione. 274

De Partibus quantitatis. Ac primo quidem de Prologo. Cap.XI. 275

De Episodio. Cap.XII. 276

De Exodo. Cap.XIII. 277

De Choris. Cap.XIV. 278

Appendix ad Chorum, & eiusdem officia. 284

De Commo. Cap.XV. 287

De alia partium, quæ quantitatis sunt, diuisione. Cap.XVI. 289

De Protasi. Cap.XVII. 290

De Epitasi. Cap.XVIII. 291

De Catastropha. Cap.XIX. 292

De Generibus Agnitionum varijs. Cap.XX. 297

De alia quadam Agnitionum partitione. Cap.XXI. 304

An extra Scenam cædes proferre fas sit. Cap.XXII. 306

E superioribus errandi modis, quis nam in Tragœdia præstantior sit. Cap.XXIII. 309

An insigni, vel probitate, vel scelere præditi homines idonei Tragœdiæ sint. Cap.XXIV. 314

An illæ Tragœdiæ felici exitu terminatæ, dici potius Tragicocomœdiæ debeant. Cap.XXV. 318

An argumentum Tragœdiæ possit esse planè confictum, & commentitium. Cap.XXVI. 320

An Tragœdia sit Heroico Pœmate præstantior. Cap.XXVII. 323

RE-

RECENSIO CAPITVM,
quæ tractantur

In Commentario de Comœdia.

Proœmium; in quo definitio traditur. pag. 327
De Notatione, atq. Etymologia Comœdiæ. Cap. I. 329
De varijs Comœdiarum generibus apud Græcos. Cap. II. 331
De Comœdiarum alia partitione apud Latinos. Cap. III. 332
An ex hisce Comœdijs quælibet sit imitata deteriores. Cap. IV. 335
Cur ex omni mortalium numero Comœdia sibi sepposuerit imitandos deteriores. Cap. V. 337
An ridiculum conueniat in omnes Comœdiæ formas. Cap. VI. 338
Quorsum Comœdia risum excitet. Cap. VII. 339
Quæ sint causæ ridiculi, quibusque sit è fontibus petendus risus. Cap. VIII. 340
De Personis ridiculis. Cap. IX. 341
De rebus ipsis, quæ dicuntur, agunturq. ridiculè. Cap. X. 348
De alijs quibusdã locis, vnde peti dicta, & ridicula queãt. Cap. XI. 349
De Comœdiæ partibus vniuersè. Cap. XII. 353
De partibus qualitatis. Cap. XIII. 353
De musicis modis, ac Tibijs Comœdiarum. Cap. XIV. 356
De partibus quantitatis. Ac primo quidem de Titulo. Cap. XV. 359
De Argumento. Cap. XVI. 361
De Prologo. Cap. XVII. 365
De Actibus. Cap. XVIII. 368
An Actus omnino, ac prorsus oporteat esse quinque. Cap. XIX. 372
De Scenis. Cap. XX. 373
Quid in singulis sequendum, & faciendum sit Actibus. Cap. XXI. 375
De Fabulis illis, quæ dictæ sunt à nouis scriptoribus Tragicocomœdiæ. Cap. XXII. 377
De Comœdijs illis, quæ Pastoritiæ nominantur. Cap. XXIII. 378

RECENSIO CAPITVM, quæ tractantur

In Commentario de Elegia.

Elegiæ antiquitas, & scriptores. Caput I. pag.383
Notatio nominis, & etymon Elegiæ. Cap.II. 384
Elegiæ Materia. Cap.III. 386
An Elegia sit vere Poësis, vbi de poëtica, deque imitatione agitur vniuersè. Cap.IV. 395
Ad quam Poëseos formam reuocetur Elegia. vbi de poëticæ generibus agitur singulis. Cap.V. 401
De Elegiæ partibus vniuersè. Cap.VI. 412
De partibus quantitatis. Cap.VII. 413
De Inuocatione. An omittenda sit. Cap.VIII. 413
De Principio, & Propositione. Cap.IX. 416
De Narratione. Cap.X. 418
De Episodio. Quid sit, & quotuplex. Cap.XI. 420
De duplici Episodio Elegiæ. Ac primum de longiore. Cap.XII. 421
An Episodium Elegiæ sine reditu probabile sit. Cap.XIII. 425
De altero Episodio Elegiæ breuiori. Cap.XIV. 437
De Fine. Cap.XV. 441
De partibus Qualitatis. Ac primò quidem de Constitutione. Cap.XVI. 451
De Moribus. Cap.XVII. 453
De Sententia. Cap.XVIII. 455
De Dictione. Cap.XIX. 459

MVTIVS VITELLESCVS,
Societatis Iesu Præpositus Generalis.

CVm Vindicationes Virgilianas, & tres Commentarios de Tragœdia, Comœdia, & Elegia, P. Tarquinij Gallutij Societatis nostræ, tres eiusdem Societatis, quibus id commisimus, recognouerint, ac in lucem edi posse probauerint; facultatem concedimus, vt typis mandentur, si ita Reuerendissimo D. Vicesgerenti; & Reuerendissimo P. Magistro Sacri Palatij videbitur. In quorum fidem has litteras manu nostra subscriptas, & sigillo nostro munitas dedimus. Romæ 26. Februarij 1620.

Mutius Vitellescus.

Imprimatur, si videbitur Reuerendissimo Patri Magistro Sacri Palatij Apostolici.

Cæsar Fidelis Vicesgerens.

EGo *Petrus Arcudius Corcyræus, de mandato superiorum hoc opus eloquentissimi, ac religiosissimi Patris Tarquinij Gallutij summa animi voluptate perlegi; quod varium, multiplex, ac eruditionis plenum sit. Proinde dignissimum censeo, quod in lucem prodeat. Non enim dubito, quin deinde frequenti vsu, & lectione doctissimorum virorum, qui præ manibus illud habituri sunt, teri debeat. præsertim eorum, qui hac ingenua nobilissimaq. facultate Poëtices oblectantur; & diuini Poëtæ Virgilij, alterius nimirum Homeri latini, mirum artificium, grandiloquum genus carminum, grauitatem sententiarum, magnificum argumenti apparatum, ac totius operis maiestatem inspiciunt, & suspiciunt; & susceptum illius patrocinium aduersus calumniatores meritò probatissimum habebunt.*

Imprimatur. Fr. Gregorius Donatus Romanus Magister, & Socius Reuerendissimi Patris Fr. Hyacinthi Petronij Romani Sacri Palatij Apostolici Magistri, Ordinis Prædicatorum.

TAR-

TARQVINII GALLVTII SABINI E SOCIETATE IESV

VIRGILIANAE VINDICATIONES & Dissertationes Poëticæ.

PROLEGOMENA.

QVIBVS POETARVM VARIAE Defensiones exponuntur, ab Aristotele traditæ in capite Poëtices XXIII.

ARISTOTELES intelligendi summus auctor, omnisq; doctrinæ sine controuersia princeps; traditis vniuersæ poëticę præceptionibus egregijs, rationes etiam ad extremum proposuit, defendendis à calumnia Poëtis accommodatas. Eam adeo mihi mentem iniecit, vt Virgilij patrocinium susciperem aduersus eos, qui auderent aram illam sapientiæ profana, propè temeritate contingere. Quo magis mihi faciendum putaui, vt antequam in hunc campum descenderem, locos ipsos Aristotelis explicarem, quos ille tamquam fontes aperuit,

& velut armamentaria quædam esse voluit, vnde Poëtarum defensiones, & præsidia depromeremus. Hinc enim intelligent ij, qui nostras hasce concertationes excepturi legendo sunt (modo lecturi sint aliqui) quasi felicibus à nobis hoc bellum auspicijs suscipi tanto poëticæ magistro, ac duce sic præeunte; nec frustra me pro Virgilio propugnare inter tam multos, & doctos, & claros viros, qui olim iam in hoc puluere desudarunt. Pauci quippe sunt, qui Aristotelem in rem præsentem aduocarint, cum causam adiudicari Virgilio vellent; & qui aliquam præstantissimi operis partem tutati sic sunt, permultas oppidò indefensas, intactasq; prætermiserunt. Itaque non me deterruit ab hoc labore Modicius, qui defensionem hanc arripuit quidem, sed præcisè, modicèq; tractauit: non Adrianus Turnebus, vir omni rerum cognitione cumulatissimus, qui carptim vndique delibauit aliqua: non Pierius Valerianus scripturæ castigator accuratissimus: non alij, qui persequendis librariorum vitijs, aut illustrandis exemplorum cumulo locis, olei multum, operæq; plurimum in Virgiliano poëmate posuerunt. Quin aliquam existimaui mihi quoque partem sic esse relictam, vt secundis, tertijsque suus etiam relinquitur in stadio cursoribus locus. Cum igitur hunc mihi laborem propriè seposuerim, vt ad Aristotelis doctrinam, illud aureum carmen, tanquam ad Lydium lapidem explorarem, vniuersa illa defensionis capita, quæ ab eo Philosopho explicatissimè sunt exposita, ita equidem hoc initio articulatim, enucleatèque propono.

Principio tria quasi fundamenta constituit, quibus innixi facilè possimus eorum, qui temerè in Poëtas inuehuntur, obiecta diluere. Primum est, poëtam imitatorem quendam esse, pictoribus, ac ceteris imaginum expressoribus similem: ex quo consequens id esse debeat, vt res imitetur, & exprimat, vel ita prorsus, vt verè sunt, fueruntue, vel vt aiunt fuisse, vel vt decuit, atque oportuit esse. Hoc enim ipsi quoque sequuntur pictores, cum aliquid pennicillo, & coloribus effingunt. quippe qui tales interdum res faciunt, quales verè fuerunt, aut sunt; interdum tales, quales eas fuisse fama vulgauit, interdum eiusmodi, quemadmodum eas esse decebat, si decorum & ratio consuleretur. Secundum: res ipsas, siue eas quæ verè ita sunt, siue quæ dicuntur ita fuisse, siue quas sic esse decet, exponi, ac exprimi à Poëtis beneficio locutionis ornatæ luminibus, ac figuris quidem omnibus, sed potissimum verbis translatis, alijsque qualitatibus orationis, quæ facilè poëtarum nationi conceduntur, & eorum propriæ iudicantur. Tertium: ea quæ in poësi peccantur, duplici ratione, ac modo peccari. καθ' αὑτὴν, ἢ κατὰ συμβεβηκός. semibarbarè, certè non ita Latinè, dici potest per se, ac per accidens. Per se quidem peccari tum ait, cum in ipsa poëtices arte propriè,

priè, verèque peccatur: per accidens, cum ex aliarum artium, veluti Medicinæ, Politicæ, Astrologiæ, aliarumq; similium ignoratione fit, vt poëta labatur. Exemplum peccati κατὰ συμβεβηκὸς, hoc est, per accidens, ex eo poëta desumi posse ait, qui equum faceret crus dextrum, sinistrumue anticæ, posticæque partis ex eodem latere simul attollentem; cum equorum, aliorumque quadrupedum animantium natura sic tulerit, vt cum duos vtrinq; pedes simul attollunt è terra, priorem ex vno latere, posteriorem ex altero subleuent, vtrumq; simul ex vtroque latere, mouere, ac tollere sine casu, ac prolapsione non queant; quod idem docuit Aristot. in libro de incessu animalium, callidèque vidit artifex ille, qui Capitolinum equum, Antoninum Imperatorem ferentem, ex aere pulcherrimo affabre fecit. Hoc inquam erratum Aristoteles esse dicit ex accidente, quia illa cognoscere tàm accuratè, ac probè tenere, non est poetæ, sed eius, qui de animalibus, & eorum incessu sedulò, & dedita opera docet. His totius patrocinij firmamentis ita positis, dispositisque, aggreditur rationes ipsas defensionis varias ex ijs existentes enumerare.

DEFENSIO I.

PRima defensio petitur ab eo, quod postremò loco dictum de tertio fundamento est. Ait enim peccatum per accidens, quod in alienis admittitur artibus, erratum quidem esse, sed condonandum poëtæ, tũ præsertim cũ eius errati beneficio artis poëticæ finem multò melius, ac magis assequitur: assequitur autem melius, si sic errans, ac peccans facit tamen, vt res admirabilior sit, & stupore quodam afficiat legentem, aut auditorem. Exemplum proponit ab Homero desumptum, cum facit Hectorem nullis stipatum comitibus, planèque solum Græcorum omnem exercitum auertentem in fugam, & compellentem ad naues. Hoc enim in arte militari peccatum est, vt ibi docet Alexander Piccolomineus: quia nemo militiæ sciens ea diceret, aut facta esse commemoraret, quæ ab vno tantum homine fieri ex arte bellica, & fortitudine militari non possunt. Sed tamen hoc ipsum erratum videtur esse condonandum erranti; quoniam sic magis oblectat, atque in admirationem legentes rapit: qui finis, vt alibi quoque ab Aristotele dicitur, est poëtæ, poëticæque propositus. Hunc locum sic, vt diximus exponendum esse de peccatis in alieno accidentibus artificio, docet Petrus Victorius, & Piccolomineus, quem paulò ante laudauimus. Nec audiendus est Robertellus: qui putauit Aristotelem veniam ijs dare, qui peccant in arte ipsa poetica, & per se. Qui enim fieri potest, vt ij melius assequantur artificij finem, qui in ipso peccant artificio, quod tractant, ac profitentur?

Itaque cum ibi hæc apud Aristotelem legimus. Ac primò quidem si quis aduersus artem peccauit: artem alienam intelligere debemus, non propriam, ac poëticam, à qua vel leuissimè declinare sine graui sapientium reprehensione non licet. Ceterum quia videbatur nimia dari licentia poëtis, si omni liberarentur culpa, cum in aliena facultate suo iudicio, ac voluntate peccarent, veniam illam ijs circumscripsit legibus Arist. vt si propositum consequi finem poëta sine vllo artis alienæ peccato possit, faciendum sibi esse putet, vt errorem illum quoque aduentitium, externumq; subterfugiat. Etenim, inquit, optandum est, vt quoad eius fieri possit, nulla ratione peccemus. Sed tamen ad extremum illud adiungit; peccatum hoc extrinsecus accidens, siue iudicio sit admissum, siue ex ignoratione artis alienæ, siue accommodatius sit ad legentium oblectationem, siue minus accommodatum, semper esse leuius, quàm erratum poëticæ proprium. Vt cum Pindarus, & Callimachus ceruas fecerunt cornutas, peccarunt illi quidem, inquit, sed multò peccarunt minus, quàm si ceruas malè fuissent imitati, nec eas, quod ad reliquas partes attinet, suis coloribus expressissent: id enim poëtæ proprium est, nec in eius artificio desiderari debet.

DEFENSIO II.

SEcunda defensio nascitur ex ijs, quæ in primo posita sunt fundamento. Si enim, inquit Arist. eo nomine reprehendatur poëta, quòd minimè vera narret, atque commemoret, respondere appositè poterit, ita se res exposuisse, vt eas decuit, atque oportuit esse, si decori, perfectiq; ratio sit hadenda. Ita quidem se purgabat in hoc genere Sophocles, cum diceret, personas se tales effingere, quales esse deceret, vt eodem loco ait Aristoteles. Et profectò sic suo fungi debet officio poëta, vt exprimat in vno quoque genere pulcherrimum, hoc est perfectissimas illas rerũ formas, quas Plato appellabat ideas. Si quid igitur in ijs, quę versibus imitatur est vitij, haud secus ac aliquis pictor in artificio callidus, emendabit, & corriget; eaq; ita fuisse finget, vt illæ rerum absolutæ postulant ideæ, quas animo consignatas habet.

DEFENSIO III.

TErtia defensionis ratio ab eodem ducta fundamento tum præstò erit, cum poëta eo nomine reprehendetur, quòd rationi minimè consentanea finxerit. Responderi quippè potest, ijs de rebus, ita famam, ita vulgarem hominum opinionem, communemq; sententiam

tiam ferre, vt à poëta eas fuisse canitur, ac perhibetur, atque id nominatim dici,& responderi posse ait Aristot. in ijs,quæ præter rationem omnem, ac modum passim,vulgòque de Dijs commemorantur. Nam Plato in secundo, & tertio de legibus Homerum, alioſque poëtas vehementer accusat, quod in Deos ea conferant, quæ sceleſtisſimi homines, ac profligatiſſimi vix pātrare soliti sunt. Et Proclus à Platone discipulus in libro quæstionum Platonicarum, quæstione prima, cuius index est; cur Plato poëtas in suam Remp. non acceperit, affirmat, Homerum multa non admodum honestè mentiri de Dijs; quibus nimirum ea tribuat, quæ mortalium propria sunt. His igitur accusatoribus docet Aristot. responderi debere, ea quæ de Dijs in hominum animos,opinioneſq; semel irrepserant, tametsi absurda essent, ac turpia, non fuisse tamen aliter à poëtis exponenda, quàm ab antiquis tradita,& veluti per manus accepta subinde fuisſent:laudatque Xenophanis Philosophi Colophonij dictum. Is enim cum eos refelleret, qui nihil vellent de Dijs prodi nisi sanctum, & castum, docere ac rēspondere solitus erat. At vulgò non ferunt hæc, ἀλλ' οὔ φασι ταῦτε. Et sanè Philosophi potius veteres accusandi sunt, si quid in eo genere peccatum est: qui dum sapientiam, rerumque scientiam naturalium voluerunt occulere, nec patere omnibus, fabularum,figmentorumq; turpiſſimorum inuolucris omnia contexerunt: quod argumētum tractauit de industria Simplicius in proœmio Cathegoriarum, & Plutarchus in libello de Homero:vbi multis docent, ex Philosophorum occulta, symbolicaq; doctrina huiusmodi narrationes extitisse de Dijs ab ipsorum natura, & maiestate prorsus abhorrentes. Hæc inquam erant, quæ respondebat Xenophanes cum videret eo nomine Homerum reprehendi, quòd multa de Dijs à ratione plurimum aliena tradidisset. ἀλλ' οὔ φασι ταῦτε. At vulgò non hæc loquuntur de Dijs homines, quæ vos locutum fuisse velletis Homerum.perinde, ac si diceret: ea quæ Homerus de Dijs, quantumuis absurda, & turpia prodidisset, fuisse desumpta ex communi mortalium opinione de Dijs. Itaque concedendum est,vt ait Aristoteles,melius de Dijs dicere,ac sentire poëtas potuisse; sed tamen id etiam est addendum: defensionem ijs idoneam ex illa vulgata, communique hominum opinione suppetere. Id verò sibi voluisse Aristotelem eo lòco demonstrabit eius oratio, quæ à Paccio latinè sic redditur. Fortasse enim sic dicere (hoc est ea de Dijs comminisci) neque meliorem in modum,neque secundum veritatem fuerit: sed tamen ita contingit, vt Xenophanes ait. at vulgò non ferunt hæc. Quibus in verbis perpendendum est accuratè quod dicitur [neque meliorem in modum.] Dicitur enim in eam gratiam, vt intelligamus hanc à proximè superiore defensionem propterea differre, quòd illa contenderet ita res ef-

fingi satius, ac melius fuisse; cum ad perfecti formam exactæ sint; hæc dat, conceditque, meliora esse contraria, quàm quæ finguntur; sed quia translatitia sunt, ac per manus accepta, immutari non debuisse. Neque enim dici facilè potest in quãtam incurrisset populi offensionem, qui emendare voluisset inueteratas illas de Dijs opiniones.

DEFENSIO IV.

QVarta defensio repetitur item à primo fundamento: vbi dicitur, interdum à poëtis tales effingi res, quales verè fuerunt. Existere quippe potest accusatio superioribus omninò contraria. Vt si dicatur: esto: afferat interdum poëtis, vel decorum, & perfecti ratio, vel fama, & communis opinio istam mentiendi necessitatem, interdum tamen errare videntur in ijs, in quibus aliquod apparet insigne vitium, nec cernimus id quod dicitur esse melius, quàm si contrarium diceretur. Huiusmodi ait Aristoteles esse, quod de Diomedis armis in Iliadis x‡. canitur ab Homero. Cum enim significare, atque ostendere vellet, Diomedem vnà cum suis humi cubantem ita de nocte dormisse, vt tamen haberet omnia parata, expeditaq; ad tuendam salutem, subitumq; hostium impetum propulsandum, dixit, Diomedem ipsum, eiusq; milites ita collocasse lanceas, vt erectæ starent, ima parte humi defixa, atque vt verius dicam instrumento quodam inclusa, quod spiculorum, lancearumq; recipiendorum causa humi figebatur. Ait enim diserte hastas illas erectas stetisse ὀπὶ σαυρωτῆρος. Eustathius autem docet, σαυρωτῆρα Græcos appellasse ferrum quoddam excauatum, intra quod, cum esset humi defixum, hastæ, & spicula collocabantur; tum vt erecta facilius starent, tum vt ne ima pars hastarum oblita limo corrumperetur. Si quis igitur Homerum errasse dicat, quòd hastas ita defixas intra thecam illam ferream fecerit, vt quoniam erant refigendæ, illicò in subeuntes aduersarios conuerti non possent; ac non potius finxerit in hostes iam directas, atque in eam conuersas partem, vnde illi venturi putabantur; si quis inquam hæc reprehendat, respondere nos iubet Aristoteles, vsum illum antiquorum fuisse Græcorum, quorum Homerus in toto illo poëmate mores effingit. Ea quippè tempestate Græci cum hastas paratas, ac expeditas haberent, sic, vt à poëta dicitur, habere soliti erant: qui mos, inquit, etiam nunc apud Illyricos retinetur. Itaque in hac etiam defensione dãdum est, accommodatius quidem futurum fuisse, ac melius id, quod aduersarij contendunt, si spectetur res ipsa per se (quis enim non videt, spicula in hostes conuersa multò paratiora esse, quàm ea, quæ humi sunt, atque intra thecam defixa?) sed tamen quia vsus earum gentium id fingi à poëta non patiebatur, rem exprimere talem oportuit,

qualis

qualis verè fuit, non qualem esse decuit ex perfecti ratione, absolutiq; præscripto. Non enim propterea poëta prorsus abhorret à vero, quod verosimile illi propositum sit ad imitandum. vtrumq; enim permiscet: sed dicitur tamen propter ampliorem partem, potioremq; verosimile potius sequi, quàm verum.

DEFENSIO V.

QVinta defensio hæret item in primo fundamento. Habet enim confirmationem quandam rationum, cur aliquid ita fingi, aut commemorari oportuerit, vt à poëta fictum, & commemoratum est. Ait ergo, cum aliquid reprehenditur à poëtis dictum, fictumue perperam, intuendum esse non modò quod dicitur, fingituruè, sed ea, quæ Græcè dicuntur περιστάσεις: semilatinè circumstantiæ: hoc est eum qui agit, aut dicit, eum, cui aliquid dicitur, aut aduersus quem aliquid fit, quando, cui, cuius gratia: veluti boni maioris causa, vt fiat, mali maioris causa, ne fiat. Monet nimirum hæc defensio eos, qui poëtas à criminationibus vindicare voluerint, vt non illa tantummodò spectent, quæ dicuntur, aut fiunt, verum etiam, à quo, cui, quando, cur, & cuius rei gratia dicantur, aganturue. Faciunt enim sæpè loca, personæ, tempora, aliaque rerum genera, quæ ibi persequitur Aristoteles, vt quod alioqui turpe videtur, aut absurdum, honestum, & prudenter excogitatum esse videatur. In tertio Iliad. vt hoc exempli causa dicatur, Menelaus illa quidē impudenter, ac impiè iactat in Iouem.

Ζεῦ πάτερ οὔπις σεῖο θεῶν ὀλοώτερος ἄλλος:

Iuppiter ò pater haud te est pernicioſior vllus.

Quæ sine dubio essent in Homero reprehendenda, nisi dicerentur à Menelao supra modum irato, ac pene furente. Huc etiam pertinet, quod Aristoteles tradit in secundo Rhetor. de Hygieonte. qui Euripidem idcircò reum fecit, quod in quadam Tragœdia dixisset esse peierandum. A tempore quippe, ac loco suæ causæ purgandæ rationem idoneam sumpsit Euripides apud Iudicem; affirmans, Bacchanalibus id à se fuisse prolatum in scena: perinde quasi diceret, vacare culpa, & reprehensione illo tempore, ac loco debere, quæ cæteroqui non reprehensionem modo, sed pœnam, atque supplicium commererentur. Nihil attinet ceteras peristases exemplis illustrare. notæ sunt ipsæ per se, in primisq; finis, & id cuius gratia aliquid dicitur, aut fit. quod profectò spectandum est plurimum. Sæpè enim aberrare videntur à decoro poëtæ, cum decoro maximè seruiunt. quippe qui multa dicunt, aut comminiscuntur boni maioris gratia, multa vitandi, declinandiq; maioris mali, vt dicitur hic ab Aristotele.

DEFENSIO VI.

SExta defensio aggreditur exponere rationes, quæ peti possunt à secundo fundamento, vbi positum est, esse diligenter inspiciendas locutionis varias qualitates, ac formas: quæ faciunt sæpè, vt eiusdem orationis varijs locis sententia variet. Affirmat ergo primum Aristoteles, id accidere, atque vsu euenire sæpissimè, vt vocabulo poëta vtatur aliquo, quod apud aliam gentem aliud planè significet, quàm quod apud eam notat, cuius lingua ille versus suos, ac poëmata scripsit. Iubet ergo linguæ nos vim perpendere, qua poëta in scribendo est vsus, qui reprehenditur. idque magis exponit, declaratq; tribus omninò ab Homero acceptis exemplis. Primum est Iliad. primo; vbi vulgatissimæ illius pestilentiæ Apollinis ira in castra Græcorum debacchantis aggressus initia commemorare, ait primum ea lue correptos esse οὐρῆας. quæ vox vulgò apud Græcos significat mulos. atque ita latinam illam fecere aliqui, qui sunt Homerum versibus interpretati.

Primum lethiferis petijt Deus agmina telis
Mulorum, atque canum: tandem discrimine nullo
Ipsos Argolicos iaculis inuasit acutis.

Cum ergo insimularetur Homerus, quod sine consilio, ac propè ioculariter inter animantia, quæ primum ea pestilentiæ vis afflasset, posuisset mulos, respondet pro eo causam agens Aristoteles, defendi Homerum facilè posse, si non Græcorum tantum, sed aliarum quoque gentium finitimarum linguam, & vocabula respiciamus. Quamquam enim οὐρεῦ Græcis ipsis est mulus, alijs tamen gentibus est custos: adeoque contendit, Homerum ea voce indicare voluisse, non quidem mulos, sed vigiles, & custodes castrorum: qui quoniam sub dio pernoctant, ac pro foribus excubant, magis erant quàm alij, pestilentiæ, ac lethiferis illis telis Apollinis opportuni. Et profectò canes, qui subiunguntur, hanc maximè probabilem faciunt coniecturam: cum ipsi quoque custodes Regum essent, & custodiæ causa Heroicis temporibus à Regibus alerentur, haberenturq; perdiligenter. Idcircò in Odiss. libro secundo Telemachum in concionem euntem comitantur δύο κύνες ἀρῳοὶ duo canes cursu celeres, ac velòces. id quod in Euandro Virgilius expressit Aeneid. viij.

Nec non & gemini custodes limine ab alto
Procedunt, gressumq; canes comitantur herilem.

Nam quemadmodum vigiles illi, excubitoresq; pro portis, omnium militum maximè erant expositi pestilentiæ, sic inter alias animantes, ac mutas belluas canes omnium primi corripiendi fuerunt, qui castrorum ostia, ipsorum Regum, ac Principum tentoria, dies, noctesque

ctesque tuebantur. Rectè igitur Homerus de pestilentia.

Οὐρῆας μὲν πρῶτον ἐπῴχετο ἠδ κύνας ἀργούς :

Custodes primum inuasit, celeresq; molossos.

Secundũ exemplum petiuit ex Iliad. x. vbi de Dolone ait Homerus.

Ὃς δὴ τοι εἶδος μὲν ἔην κακός, ἀλλὰ ποδώκης :

Turpis erat specie: plantarum at robore pernix.

In quo quidem idcircò peccare videtur, quòd cum εἶδος acciperetur vulgò pro forma totius corporis, omniumq; structura membrorum pugnantia loqui videbatur, cum diceret, eum cursu velocem, summaq; pedum esse præditum pernicitate, quem ante dixisset, habere turpem formam, hoc est totius corporis habitudinem, constitutionemq; membrorum prauam, ac vitiosam. Volunt enim cursores celerrimi compositionem corporis egregiam, singularemq; membrorum omnium symmetriam, ex qua existit agilitas, vt docet Aristoteles ipse in secundo Rhet. Sed huic criminationi Aristot. hic occurrit, affirmans eam vocem εἶδος non sic interpretandam esse, quemadmodum vulgò vsurpabatur, sed ex consuetudine, vsuque Cretensium, qui cum aliquid appellant εὐειδὲς id intelligunt, quod pulcram, elegantemq; faciem habet. Quare dempta particula εὖ, separatum, abiunctumque vocabulum εἶδος nihil aliud erit apud Homerum eo loco, nisi facies, significabitque, Dolonem turpi fuisse, prauaque facie, non enormi, deformiq; corpore; atque vt loquitur Aristoteles ἀσυμμέτρῳ. Iure igitur addere potuit ἀλλὰ ποδώκης. sed pedibus velox, quia fieri facilè potest, vt turpi aliquis facie sit, sed membrorum tamen habeat conuenientiam optimam, & symmetriam. Tertium exemplum assignatur in Iliad. ix. vbi Vlyssi, & Phoenici à Græcorum Principibus ad placandum Achillem allegatis Patroclus eiusdem Achillis iussu conuiuium parat. Inducit enim Achillem Homerus imperantem Patroclo, vt legatis illis in conuiuio præbeat ζωρότερον.

Μείζονα δὴ κρατῆρα Μενοιτίου υἱὲ κάδησα,
Ζωρότερον δὲ κέραιρε, δέπας δ' ἔντυνον ἑκάστῳ.

Maiorem nobis statues cratera Patrocle,
Vinaq: miscebis generosa meracius, atque
Vt sua cuique adsint curabis pocula prompta.

Ita latinè reddidit hos versus aliquis; ratus ζωρότερον esse vinum merum, siue meracius. Id quod sanè vox illa vulgò significat. Sed Aristoteles docet, aliam eo loco illi vocabulo subiectam esse notionem; & Homerum à Zoili calumnia vindicandum esse, qui dicere solitus erat, non debuisse propinari hospitibus illis vinum meracius tãquam ebriosis, & vinolentis. liberandum, inquam, Homerum ab ea criminatione docet, quod ζωρότερον ibi non pro vino meraciori positum sit, quo delectantur ebriosi, quemadmodum vulgò ponebatur ab alijs; sed

sed pro comparatiuo, siue pro aduerbio, celeritatem, & festinationem significante. sic inquam, vt iubeat Achilles dari conuiuium legatis ζωρότερον, celerius, & festinantius. ἢ τὸ ζωρότερον δὲ κέρασε. ἢ τὸ ἄκρατον ὡς οἰνόφλυξιν; ἀλλὰ τὸ δαῖτον, inquit Aristoteles. quasi dicat, & cum dicitur ζωρότερον præpara, siue præbe, ac propina, non iubetur præparari meracius vinum, quod proponitur vinolentis, sed conuiuium adornari festinanter, ac citò: quod legatis subito in tentorium introgressis erat celeriter exhibendum.

DEFENSIO VII.

SEptima defensio ponitur in metaphora. Nihil enim est apud Poëtas frequentius, quàm vt id, quod absurdum alioqui videbatur, beneficio tamen translationis dicatur appositè. Quatuor hoc Aristoteles explicat exemplis, accersitis item ab Homero. Primum est in Iliad. secundo, in exordio, quod aliqui latinitate sic donant.

Altera turba Deum, noctem, populiq; Pelasgi
Per totam placido mulcebant corpora somno.

Si enim dicat aliquis imprudenter, & stultè cani, Deos totã noctem dormire, qui dormiant numquam, confugere nos docet Aristoteles ad metaphoram. Poëta quippe cum significare vellet, non homines modò, sed Deos etiam eo tempore cessasse, non potuit aliter Deorum exprimere quietem, nisi ducta similitudine à quiete mortalium, quam cognitam habebat. Eadem defensione Virgilium facilè tuearis cum de Ioue nõ dubitat dicere. Oscula libauit Natæ. Olli subridẽs, &c. Humana quippe metaphoricè transfert ad Deos: quia cum hominibus esse sibi sermonem intelligit, qui de Dijs nihil informabant animo, nisi quòd è rerum humanarum expressum simulacris intuebantur. Secundum exemplum est in Iliad. x. de Agamemnone. qui grauibus conflictabatur curis, nec vt reliqui Duces somnum oculis capere poterat, adeoque dicitur ab Homero de multa nocte campos respicere, ac contemplari Troianos.

Siue hinc in campum Teucrorum lumina vertat.

Si quis igitur hoc etiam irrideat, quod Homerus eum faciat videntem intempesta nocte, atque inter tenebras Troianum campum, respondere oportebit, id dici per translationẽ: vt intelligas non quidẽ oculis Agamẽnonem eum campum aspexisse, sed animo & cogitatione. Ducum enim est, & eorum, qui populis præsunt, de nocte, ac tum etiam cum ceteri somnum capiunt, cogitare de hostium consilijs, eorumque copias, ac vires animo reputare. Tertium exemplum ex eodem omninò sumptum est loco. vbi confirmat Homerus, vehementissimè commotum Agamẽnonem esse, audientem fistularum tibiarumq;

sonum

ſonum in Troianorum caſtris, cum interea Græcorum ceteri dormirent omnes. Poteſt enim aliquis dicere, non eſſe credibile, omnes tum in tam magno exercitu dormiſſe, ac neminem, ſi Agamemnonem excipias, vigilaſſe. Reſpondendum itaque cenſet Ariſtoteles, omnes ibi poni pro multis; cum omne nihil aliud ſit, quàm aliquid multum. Quartum exemplum eſt in Odyſſ. v. vbi dicitur Vlyſſes intentus nauigationi, cœlum, ac ſidera reſpicere, aliaque obire officia ſolertiſſimi gubernatoris. Ait igitur Homerus eo in loco ſolam Vrſam non occidere, illud ſidus vnum Oceani fluctibus haud lauari. quod Virgilius imitatus ita circumſcripſit amplius.

Arctos oceani metuentes æquore tingi.

Hic etiam exiſtere aliquem poſſe Ariſtoteles autumat poëtæ reprehenſorem, accuſantem, arguentemq;, quòd ſolam Vrſam expertem occaſus dixerit, cum tamen id in alia quoque ſidera, quæ in eodem Arctici poli circulo ſunt, vbi locantur Vrſæ, cadere, ac conuenire perappoſitè queat. Ergo rationem ſoluendi nodi petit ſimiliter à metaphora. reſpondet enim voluiſſe poëtam ſignificare, inter clariſſima, & notiſſima nobis ſidera Vrſam vnam eſſe, quæ non tingatur oceano: alia ſi qua ſunt, quæ non occidant, & mergantur, obſcuriora eſſe, atque ignobiliora. Illud enim, inquit, quod notiſſimum eſt, vnicum, & ſolum dicimus: τὸ γὰρ γνωριμώτατον, μόνον: translatè nimirum, & per comparationem cum alijs: quæ quia non ita ſunt nota, perinde putantur eſſe ac ſi non ſint.

DEFENSIO VIII.

OCtaua defenſio ab accentus ratione deſumitur. qui cum mutatur, dici vix poteſt, quam variam, apud Græcos præſertim, ſententiam ijſdem vocibus tribuat. Exemplum Ariſtot. proponit apud Homerum in Iliad. libro ſecundo, & ſapientiſſimum poëtam à maxima liberat calumnia, quam ei Plato prudentiſsimus alioqui Philoſophus imponit in ſecundo de Rep. Cum enim eius initio libri ij. Iliad. Iuppiter ad Agamemnonem Somnium allegat, vt Ducem illum Græcorum deludat falſis victoriæ promiſsis, eidem præcipit Somnio, vt Agamemnonem ad arma concitet, & peramplã illi polliceatur è prælio gloriam, ex quo plagam erat relaturus inſignem. Præcipit autem hæc Iuppiter, quòd Achillem ornare velit; atque oſtendere, quantum eſſet in eo momenti, ſi pugnaret, quantum ſi pugnam detrectaret, incõmodi. Sic enim ibi canit Homerus ex interpretatione quorundam.

At non vlla quies dulci comitata ſopore
Lumina Rectoris magni ſubigebat Olympi.
Ille ſed intento varios in pectore motus

Volue-

Voluebat, qui nam læsum decoraret Achillem
Multorum fuso Graiorum sanguine, iuxta
Naues Argolicas, Sigeo in littore. tandem
Hæc alternanti potior sententia visa est:
Regem mendaci deludere imagine noctis.
Quam Pater aligeris compellat vocibus vltrò.
Vade comes somni citò sumptis labere pennis
Argolicam ad classem, & Regis tentoria quære:
Cui mea iussa memor referes ex ordine cuncta.
Indutos armis populos dic nempe Pelasgos
Educat properè castris ex omnibus actos:
Nunc etenim capiet perituræ mœnia Troiæ.

Hoc inquam in loco inuehitur in Homerum Plato, quòd Iouem induxerit deludentem mortales, fallentem, ac mentientem. Nihil enim ait à Dijs alienius esse, quàm decipere, ac mentiri. Quin ante Platonem ipsum hoc nomine reprehensum Homerum fuisse, videtur docere hic Aristoteles; cum subiungit, Homeri patrocinium fuisse susceptum ab Hippia Thasio, Philosopho graui, ac poëtarum Principis amantissimo. Quam tanti viri tutelam si vidissent aliqui, non sustulissent, inquit Petrus Victor. ab Homero versum illum, cuius dimidiati partem profert hic Aristoteles. Putarunt enim mentiri, ac falsa polliceri, tam indignum esse Ioue, vt maluerint eam orationem mentientis Iouis inducere, ac tollere, quàm cum Homeri dedecore retinere. In eo enim versu illud erat. δίδομεν δὲ οἱ. damus verò. videbatur Iuppiter dicere, nos illi victoriam, aut gloriam amplissimam damus. Sed vbi nam posita sit illa defensionis ratio, quam ab accentus variatione petiuit Hippias Thasius, videndum nunc est diligẽter. Robertellus, Victorius, & Madius eam ponunt in articulo οἱ, contenduntq; hunc articulum οἱ pluralis numeri referri posse ad Iouem loquentem, & Deos, ac significare nos: sic inquam, vt dicant οἱ δὲ δίδομεν. nos verò damus victoriam &c. sed eundem articulum si circumflexum aspero spiritui accentum imponat hoc modo, οἷ. pronomen fieri, ac significare αὐτῷ. Hippias ergo Thasius, inquiunt, vindicauit Homerum ab omni planè calumnia: docens, esse illi articulo circumflexum accentum imponendum, vt intelligamus, non solum Iouem dicere: Nos damus gloriam, victoriamue; sed ipsi Agamemnoni damus. Ita dicunt hi, atque alij quidam ipsis antiquiores. quorum doctrina irrepsit etiam in Aristotelis Codicem latinè redditum ab Alexandro Paccio. vbi sic legas. οἱ enim articulus est: cui si circumflexum addideris accentum, pronomen, sibi, significat. quæ verba in Græco Codice non sunt. Sed errarunt quicumque sic sunt arbitrati: & errarunt quidem duplici nomine. primum, quia cum articulus οἱ pronomen, sibi, vel ipsi, significat, significat

cat autem sæpissimè apud poëtas, non assumit accentum circumflexum. nec aliud, nisi vnum profertur exemplum ex Homero in Iliad. α. vbi articulus οἱ circumflexum adscisçat accentum. & in eo tamen exemplo mendum est, vt licebit cernere ijs, qui bonos codices consulere volent.

Secundum istorum erratum in eo positum est, quod quamuis hic articulus ex accentu addito pronomen fieret, & significaret, ipsi, non propterea tamen mutaret sententiam eorum verborum, nec Homerum iusta reprehensione liberaret. Non enim mentitur minus Iuppiter cum dicit Nos (Dij videlicet omnes) victoriam damus, quàm cum ait, ipsi, hoc est Agamemnoni, damus victoriam. Sequamur ergo ductum, ac lucem Aphrodisiensis Alexandri: qui in libro Elenchorum primo singulariter hunc locum illustrat. Contendit enim, accentus illam mutationem non in articulo οἱ sed in verbo δίδομεν excogitatam fuisse ab Hippia, docente nimirum, esse legendnm δίδομεν, accentu in syllabam penultimam tracto, qui erat in antepenultima, siue in prima; & retinendum esse articulum οἱ sine accentu, significantem, ipsi, quemadmodum communis vsus, & consuetudo est. Quæ mutatio sententiam eorum verborum immutat incredibili modo. cum ponatur δίδομεν pro δίδομεναι Doricorum more, vt ibi tradit Alexander. Dorici enim quemadmodum infinito addebant sæpe syllabam initio, vt in ἔιαι ἔμμεναι, sic interdum amputabant vltimam, & ex δίδομεναι faciebant δίδομεν. Hæc, inquam, accentus ex vno loco in alium translatio mirum quantum illorum verborum immutet sententiam. quia cum Iuppiter Somnium alloquens dicit δίδομεν δὲ οἱ, non dicit affirmatè, damus illi victoriam, sicut dicebat cum accentu priori δίδομεν δὲ οἱ. sed imperat Somnio per infinitum δίδομεναι, siue δίδομεν, vt denunciet consecuturam victoriam hoc modo. Dic dare illi victoriam. siue iubeo, te dare illi victoriam. Id quippe nullam inurere Ioui mendacij notam videtur: cum in ea pollicitatione personam ipse non interponat suam, sed imperet tantummodo somno, vt polliceatur Agamennoni victoriã, quem verè ob iniuriam Achillis erat affecturus ignominia, & clade grauissima. Similis esset apud Latinos fortasse locus ambigui in relatiuo qui, si absque accentu, aut aliqua nota scriberetur, cum ponitur pro quo modo.

DEFENSIO IX.

NOna defensio constituitur in orationis partitione varia, siue in interpunctione membrorum; quæ si mendosior in scriptura, vel pronunciatione sit, orationem ipsam plus nimio perturbat, immutatq; sententiam. Huius exemplum rei demonstrat Arist. & ex Empedoclis

pedoclis loco ea tempestate percelebri. vbi Physicus ille rerum naturalium initia litem, amicitiamq; faciebat: ex quibus videlicet extitisset, lite dominante, rerum omnium in vniuersitate compositio. Sic enim ipse arbitrando decreuerat; in longo illo certamine, ac confusione, quam Chaos antiqui dixerunt, ita demum initam amicitiam esse, vt omnia confunderentur tamen, & miscerentur; gignereturque aceruus quidam rerum, qui esset immortalis, diuinamq; naturam haberet. postea verò motu in contrarium verso, lite iterum glisciente, distincta omnia, ac separata fuisse, quæ sic mista, coaceruataq; illo cumulo tenerentur. Itaque à lite primùm aggrediebatur Empedocles ipsa rerum initia retexere, deinde ad amicitiam illam inchoatam, imperfectamq; veniebat. tum iterum ad litem reuertebatur, quæ dirimeret omnia, secerneretque; vt postremò suis disposita locis amicitia quadam incredibili necterentur. Cum igitur hæc Empedocles ita canit, vt exposuimus, ea vtitur oratione, quæ nisi interpungatur appositè, videbitur alia omnia significare, quàm quæ ille decreuerat; hoc est, mista, & composita corpora fuisse rerum initia, & ea elementa, quæ pura & simplicia corpora nominamus. Hæc autem orationis perturbatio nasceretur ab aduerbio πρὶν, nisi per interpunctionem ab alijs sēpararetur vocibus, & cum ea iūgeretur, quæ corpora pura, & simplicia significat. ζωρότε τὰ πρὶν, & pura corpora prius fuere.

DEFENSIO X.

DEcima defensio explicat amphiboliam, ex qua nascitur accusatio. Producit item Aristoteles exempli causa locum Homeri ex Iliad. x. πυφόρικε δὲ πλέον νύξ. Plurima præterijt nox. vbi nulla profectò est amphibologia, nisi videamus ea, quę consequuntur. Vlysses eo loco Diomedem hortatur, ac socios, vt quoniam ire ad exploranda Troianorum castra decreuerant, maturarent iter antequam omninò præteriret nox, cuius duæ iam exactæ partes essent, restaret tantummodò tertia.

Ἀλλ' ἴομεν: μάλα γὰρ νύξ ἄνεται: ἐγγύθι δ' ἠώς:
Ἄστρα δὲ δὴ προβέβηκε: παρῴχηκεν δὲ πλέων νύξ
Τῶν δύο μοιράων, ἰητύτη δ' ἐπὶ μοῖρα λέλειπται:

Quorum sententia versuum ita referri propemodum potest.

Sed properemus: abit nox, atq; aurora propinquat.
Astra receßerunt; fugit nox plurima, noctis
Nempè duæ partes: sed tertia tota relicta est:

In his ergo versibus alicui videri potest absurdi aliquid esse ex verbo πλέων, siue πλέον. nam apud Homerum scribitur per ω. apud Aristotelem per ο. Sed quia Græcis vtrolibet modo scriptum, idem est, atque

que id, quod apud Latinos dicitur amplius, aut plus; nihil attinet hic de scripturæ vitio laborare. Videbitur autem aliena, atque incommoda sententia, si πλέων referatur ad initium versus insequentis, ἢ δύο μοιράων per comparationem; sic inquam, vt significet, ex nocte, plus, quam partes duas, aut plus duabus partibus præterijsse, πλέων ἢ δύο μοιράων. Genitiuo enim vtuntur Græci pro casu sexto. Erit, inquam, hoc ineptum & pugnans cum reliquis, si sic interpretandum sit. Neq; enim reliqua esse potest noctis tertia pars, si plus quàm partes duæ iam præterijt: cum id quod plus est, quam partes duæ, aliquid habeat etiam ex tertia parte. Soluitur ergo, inquit Aristoteles, hic nodus, si spectetur amphibolia: dicaturque id sibi velle Homerum, cum ait, παρῴχηκε πλέων νὺξ ἢ δύο μοιράων, plurimum noctis iam transisse: duas nimirum partes: sine syntaxi comparatiua. ita vt πλέων νὺξ sit plurima nox, siue plurimum noctis. perinde ac si planius latinè diceremus. Id quod in nocte plus est, præterijt: id verò quod in nocte plus est, & iam præterijt, duarum partium est, siue duabus omninò partibus continetur. Hæc ita docet Aristoteles. Apud Latinos amphibolia nobilis est in illo Ennij versu.

Aio te Aeacida Romanos vincere posse.

Aliæquae sunt plurimae à Quintiliano diligenter expositae in libro septimo capite nono.

DEFENSIO XI.

VNdecima defensio sita est in vsu communi alicuius dictionis, aut formæ loquendi. Quo ex loco defendi posse ait Aristoteles id quod vulgò dicunt: Ganimedem administrare κεκραμένον, hoc est vinum, aqua dilutum Ioui: qui nectar, vt dicitur in fabulis, non vinum bibit. Ait inquam id defendi posse propter consuetudinem vsumque sermonis: quia quicquid bibitur, appellari vulgò videtur κεκραμένον, mistum, siue vinum dilutum. Quæ vetus consuetudo tantum valuerat, vt ne de Iouis quidem poculo aliter loqui voluerint homines; rati, omnes intelligere nectar cum audiunt Iouis poculum dici κεκραμένον Locum item Iliados xj. hoc defensionis genere tuetur Aristoteles: vbi Achillis ocreæ stanneæ dicuntur, quas æreas fuisse, aut ferreas certò scimus. Vidisse quippè Homerum, ait, vulgò stannum poni pro aere, ac ferro. Principio enim homines stanneis fortasse vti cœperunt armis: quæ postea etiam inuento aere, ac ferro, stannea vulgò, antiquo illo retento vocabulo, dicebantur.

DEFENSIO XII.

DVodecima versatur in verbo, ac vocabulo multiplicis variæque significationis. Cum aliquod verbum, inquit Arist. aut vocabulum

bulum apud Poëtas offendes, quo contraria planè declarari ſententia videtur, illique prorſus aduerſa, quæ conuenit in rem, diligenter eſt videndum, an verbum illud multa, eaque inter ſe diſtracta ſignificet, ex quibus vnum facilè ſit, quod cadat in rem, qua de agitur, aptè, & congruenter. Vt apud Homerum Iliad. xx. ἔσχετο, ſi accipiatur pro hæſit, ſententia non congruit rei, de qua ſermo eſt: ſin autem, quoniam vtrumq; ſignificare poteſt, ἔσχετο poſitum intelligatur pro vetuit, aut prohibuit, optimè, atque accommodatiſſimè congruet. Loquitur enim poëta de Achillis clypeo cum Aenea pugnantis, qui quidem clypeus progredi vetuit haſtam Aeneæ trans moras, & laminas aereas ſeptemplicis orbis. Locum illum ita vertit in latinũ Nicolaus Valla.

---------- Aeacides vmbonem protulit vltro,
Ne forſan corpus lædat penetrabile telum.
Demens: qui Diuum violari munera credit
Mortali ſic poſſe manu. non transijt haſta
Magnanimi clypeum Aeacidæ: ſed tegmine primo
Conſtitit, inq; orbem vix eſt emiſſa ſecundum.

Conſtitit] hic Interpres reddidit, quod non abhorret ab Ariſtotele, qui cum admonuit ἔσχετο non eſſe hæſit, ſed vetuit, ſignificare ſine dubio voluit, haſtam Æneæ non ſic hæſiſſe, vt penetrarit penitus in clypeum ſeptemplicem, omneſq; perfregerit laminas, & Achillem vulnerauerit, ſed in primo tegmine conſtitiſſe, nec vltra progreſſam eſſe. Ex huius ignoratione defenſionis ait Robertellus errare Lambinum, qui cum vidiſſet Horatium dicere [locus eſt & pluribus vmbris] exiſtimauit eum loqui de cœnaculis vmbroſis, & alſioſis, cum verè de paraſitis, deque ijs, qui captant alienas cœnas id ille ſic dixerit.

DEFENSIO XIII.

TErtia decima propulſat criminationes à præiudicata quadam opinione profectas. quod patrocinij genus excogitauit Glauco Teius, vt docet Ariſt. Is enim admonebat, vt in poëtarum defenſione videremus, vtrum certo aliquo niterentur firmamento reprehenſores, an ſua tantum ipſorum opinione præiudicata ducerentur ad rem improbandam aliquam, in qua præſertim hominum ſententiæ variant. Huic loco lucem affert Ariſtoteles ex Odyſſ. ſecundo. vbi Homerus Icarium Penelopes patrem fuiſſe docet. & ex Odyſſ. iv. vbi Telemachum Penelopes filium Lacedæmona facit euntem ad Menelaum Regem è bello Troiano reuerſum; vt de Vlyſſe parente ab eo percõtaretur. Cum enim hæc ita diſpoſita viderent aliqui, putarentq; prorſus Icarium illum Penelopes parentem fuiſſe Lacædemonium, Homerum incuſabant, quòd ſibi parum in ea peregrinatione Telemachi

chi constaret, cum eum accedentem Lacedæmona, atque in Vrbem illam ingressum, non finxerit hospitio acceptum fuisse ab auo materno Icario, aut ad eundem auum salutandum ex itinere saltem, atque ab hospitio Menelai diuertisse. Sed Aristoteles aduersus istos ita defensionem adornat. ait eos attulisse ad damnandum Homerum aliquid præiudicati in re maximè dubia, & controuersa. Sic enim in animum induxerant suum, Icarium esse Lacedæmonium, vt aliter hoc se habere non posse existimarent: sed fallebantur. Nam Cephalenij vulgò prædicabant, Icarium suum ciuem esse, non Lacedæmonium: adeoque Vlysem è sua ipsorum Insula Penelopem ab Icario traditam in connubium Ithacam adduxisse; Icadiumq; appellatum ab Homero fuisse, non Icarium. Ita prorsus Aristoteles hoc, atque his verbis docet. Hoc autem fortasse, inquit, ita se habet, vt Cephalenes dicunt, qui duxisse apud se vxorem Vlysem affirmant: Icadiumq; esse non Icarium. Horum igitur Homerus opinionem secutus ita Telemachum iter illud habentem commentus est, vt ad auum salutandum diuertêtem non fecerit, qui Lacedæmone non esset, & appellaretur Icadius, non Icarius. Quare adiungit Aristoteles, hoc non esse peccatum, sed verisimile problema. διὰ ἁμάρτημα δὲ τὸ προβλημα εἰκὸς ὄζιν. propter erratum autem problema fit verosimile. Ponit enim problema pro obiectione, vel criminatione eorum, qui rati, patrem Penelopes esse Icarium Lacædemonium, accusabant Homerum. Itaque propter eorum errorem, inquit, videtur obiectio, & criminatio verisimilis, cum falsa sit. Ita locum hunc Madius interpretatur. & rectè. Nam si pater Penelopes est Icarius Lacedæmonius, criminatio probabilis est; sin minus, Homerus accusatur iniuria.

DEFENSIO XIV.

QVarta decima purgat, & tuetur item ea, quæ rationi videntur aduersari. Græcè dicuntur ἄλογα. Purgari autem hæc, & defendi posse ait Aristoteles, si respondeamus, à ratione aliena non esse: quia credibile est, multa fieri re ipsa, quæ nos fieri non posse existimamus. Quantum attinet, inquit, ad ea, quæ præter rationem esse dicuntur, respondendum est, præter rationem non esse, quia verisimile est, accidere, atque effici aliqua, contra quàm fieri posse credibile, ac verosimile sit. Hoc nimirum eget patrocinio id quod de Oedipo legimus apud Sophoclem. ponit enim poëta ceteroqui sapiens Oedipum ignorasse Laij cædem à se factam. In quo si culparetur, quasi finxisset aliquid præter rationem, ac fidem, probaret facilè causam suam, affirmans Oedipo semel accidisse, quod vix vlli accidit aliquando.

DEFENSIO XV.

QVinta decima, multa tradit, ac varia præsidia à modis illis, rationibusq; petita, quæ sophismata soluunt, & Elenchos apud Dialecticos. Nam ad explorandum, vtrum aliquid iure Poëtis obijciatur, videndumq; num ipsi pugnantia loquantur, perpendere oportere, ait Aristoteles verba, & quod verbis significatur; eo planè modo, quo perpenduntur in soluendis captionibus Sophistarum. Rationem autem hanc explorandæ, ac perpendendæ captionis affirmat in tribus esse positam quæstionibus, ac punctis. an idem, an ad idem, an eodem modo. Cum enim aliquam in ijs, quæ dicuntur videmus esse repugnantiam, perquirere sedulò solemus, an idem sit re, quod nomine videtur idem: an ad idem referatur, eodemq; consilio, ac ratione tractetur: an eodem modo, ijsdem locis, ac temporibus dicatur, & fiat. quæ qui diligenter obseruatèq; considerat, facillimè præstigias impostorum eludit, vt docetur pluribus, ac de industria in Topicorum primo, atque in secundo Rhetoricorum sub finem.

DEFENSIO XVI.

PRopositis hisce defensionũ generibus, ac locis, postremò, ad claudendum agmen duo substituit generalia monita multis sanè frangendis accusationibus opportuna. Primùm est: oportere, cum Poëta certo aliquo loco damnatur à Criticis, intueri diligenter, quid alibi dixerit: & ex eo demonstrare, non potuisse Poëtam id sibi velle, quod ei imponit aduersarius, nisi secum ipse pugnare voluisset. Sic enim Victorius Aristotelis illa verba interpretatur [sicuti dicentem ipsum ad ea, quæ ipse dicit] vt iuberi velit, dicentem ipsum, hoc est, Poëtam referri ad ea, quæ alibi dicit, & cum ijs comparari quod obijcitur. Nam nisi cum illis congruat, credibile non est, id sibi Poëtam velle, quod instituto suo contrarium sit. Secundum: videndum esse vtrum poëta sequatur in ea re, cuius accusatur, alicuius hominis docti, prudentisq; iudicium; atque vt ipsius vtamur Aristotelis verbis, an dicat ea, quæ prudens aliquis pro compertis poneret, & vera esse putaret. Vt enim Dialecticus, quod docet idem Philosophus primo Topicorum, non modò probabilia sequitur, hoc est ea, quæ in communi hominum vulgariq; opinione posita sunt, sed etiam ea, quæ sapientium, aut plurimorum, aut paucorum, interdum etiam vnius sententia comprobantur, ita poëta amat quidem optatq; plurimum opiniones rerum communes, & peruagatas, sed tamen interdum sibi sumit etiam id, quod viris tantummodò sapientibus, aut omnibus, aut multis, aut

etiam

etiam eorum alicui placet. Sæpè adeò videmus aliquid poëtas canere à vulgaribus hominum opinionibus alienum, ac singulare; sed quod ab aliquibus tamen probatum sit. Quin Plutarchus enumerat huiusmodi recondita, & singularia nonnullorum placita propemodum infinita: ostenditq; Homerum varijs in locis esse secutum singula. Hæc præsidia, hi loci mihi suppeditantur ab Aristotele ad Virgilij libertatem asserendam, euadendumq; ex ambagibus, quas acutum aliquorum inuoluit ingenium. Quæ quidem non idcircò sic explicatè proposui, quod ex eo solùm capite xxiij. accersere velim defensiones, cum in Aristot. tota poëtica suppetant plurimæ: sed quod hæ sint maximæ, & eæ, quas dedita opera colligit, ac suggerit optimus auctor patronis, ac tutoribus poëtarum. Intrabo itaque penitus in causam, certissimum tanto duce reditum habiturus.

LIBRI AENEIDOS

PRIMI LOCVS PRIMVS.

DE GERMANO VEROQVE Virgiliani Operis initio.

Ille ego qui quondam, &c.

POTERAT hic locus à me facilè præteriri, qui tractatus à multis est; nec tàm Prætorem, & dantem vindicias Aristotelem, quàm Quæsitores postulat, Iudicesq; Grammaticos veteres. Sed placet hæc etiam attingere, quæ leuiori iudicio dirimi possunt: nec aditum hunc declinandum existimaui, quém vnusquisque legentium esset in opere desideraturus. Dubitatum ergo iam olim est à doctis, atque intelligentibus viris, num hoc verè sit initium Aeneidos:

Ille ego, qui quondam:

An illud, quod in omnium ore versatur.

Arma, virumq; cano.

Sunt, vt breuissimè faciam, qui posterius hoc, Aeneidos verum, & germanum initium esse pugnacissimè velint, superioresq; versus appositos fuisse contendant, atque suppositos. Habent hi subscriptorem Iosephum Scaligerum in Propertij Commentarijs, habent causas sic arbitrandi non contemnendas, ab antiquorum auctoritate repetitas: qui explanatissimè docere videntur initium Aeneidos Virgilianæ fuisse.

Arma, virumq; cano.

Nam primò quidem Vegetius libro ij. cap. 1. Res militaris, inquit, sicuti Latinorum egregius auctor carminis sui testatur exordio, armis constat, & viris. Martialis deinde libro viij. sic de Virgilio canit.

Pro-

Protinus Italiam concepit,& arma,virumq;.
Qui modo vix Culicem fleuerat ore rudi.

Et in libro xiv.

Accipe facundi Culicem ſtudioſe Maronis
Ne nugis poſitis,arma,virumq; legas.

Ouidius item in tertio de Triſtibus hoc haud dubiè ſignificauit initium eſſe, cum dixit.

Et tamen ille tuæ felix Aeneidos auctor
Contulit in Tyrios arma,virumq; thoros.

Perſius verò ipſe in Satyra prima ex vani cuiuſdam, ampullantiſq; poëtæ perſona, qui Virgilium quoque tumidum eſſe contenderet, ita de huius operis exordio loquitur.

Arma virum. nonne hoc ſpumoſum, & cortice pingui?

Voluit enim initio tantùm indicato, totum poëma ſignificare, vt Latinis ſcriptoribus vſitatus eſt mos. Nam Cicero ipſe ad Atticum libro xvj. epiſtola xj. ex primis exordij verbis libellum ſuum de ſenectute intelligi vult. ò Tite tibi prodeſſe lætor. hoc ex libro meo de ſenectute. & eodē libro epiſtola iij. Quod verò ſcribis te magis delectari ò Tite,addis alacritatem. Ad hæc in libro de finibus primo, eodem plane modo Ennij Medeam laudat,indicato principio. At vtinam ne in nemore nihilo minus legimus, quàm hoc Græcum.Erat enim eius initium Tragediæ.[at vtinam ne in nemore Pelio.]His accedit Auſonius Gallus: qui Grammaticum ſibi vicinum irridens,cui coniux eſſet clamoſa,& iurgioſa,ait initium Aeneidos ab eo ludi magiſtro ſubinde repetitum,iteratumq; ſæpiſſimè.

Arma,virumq; docens,atque arma,virumq; peritus
Non duxi vxorem,ſed magis arma domum.
Namq; dies totos, totaſq; ex ordine noctes
Litibus oppugnat meque,meumq; larem.
Atq; vt perpetuis dotata à Marte duellis
Arma in me tollit,nec datur vlla quies.
Iamq; repugnanti dedam me, vt deniq; victum
Iurget ob hoc ſolum, iurgia quod fugiam.

Denique Quintilianus libro xj. cap. viij. hoc initium Aeneidi fuiſſe haud obſcurè teſtatur, cum rationem docet pronunciationis. obſeruandum etiam,inquit,eſt quo loco ſuſtinendus, & quaſi ſuſpendendus ſit ſermo,quo deponendus. Suſpenditur,Arma virumq; cano: quia illud virum ad ſequentia pertinet. De huius auctoribus initij diximus.

Alij ſunt,qui retinere mordicus velint [Ille ego qui quondam &c. confirmantq; illos etiam verſus in exordio ipſo poſitos ab auctore. Vt autem facilè reſpondere queant tam multis veterum teſtimonijs, quæ proferuntur,hiſtoriam retexunt antiquam,& quidem huiuſmodi.

Virgilio vita iam functo, aiunt, eius poëmata permissa fuisse arbitrio Tuccæ, ac Vari. hos autem audacius, quàm res, & ratio voluisset, verum illud initium amputasse; ratos, in ipso totius operis vestibulo esse oportere carmina cõspectiora, & ea potissimum, quæ maiorem cum Homerica Iliade similitudinẽ essent habitura. Ita quippè Iliad. initio.

Dic Dea pestiferam Pelidæ Principis iram.

Aeneis illi esse similis videbatur, si exordiretur ab eo cantu, quem sibi poëta planè dilucidèq; proponit.

Arma, virumq; cano.

Quare nullo negotio diluunt hi quicquid obieceris. Concedunt enim, ac facilè dant, temporibus etiam illis antiquis initium Aeneidos vulgatissimum fuisse: [Arma virumq;] sed illud dicunt fuisse, quod Tuccæ Varoque placuit, non quod à Virgilio factum poëmati fuerat. Cum enim ab ijs Censoribus subductum fuisset verum: Ille ego qui quondam: substitutumq; Arma virumq; Grammatici omnes, & quicumq; principium Aeneidos nominabant, Arma virumq; cano, ponebant esse, veluti rem compertam, & exploratam.

Horum sententiam qui sequi volent, habent opponere Iosepho Scaligero Iulium patrem. qui libro 1. poëtices cap. xvij. ea, quæ contendunt hi, planissimè docet his verbis. Veritus Virgilius plagiariorum temeritatem, tum in extremo Georgicorum quarto nomen posuit suum differtè, tum hic indicauit. quæ qui abstulere, suam faciunt Aeneida, non Maronis. Et erat apud priscos in more positum, vt non titulis solum adscriberent nomen, sed operis statim principijs apponerent. Sic omnes Arabes, & Caldæi, ac Prophetæ veteres; Visio Azaëlis, &c. Sic Herodotus. sic Thucydides. Et in libro item primo cap. lvi. Sunt, inquit, & in generibus poëmatũ procœmia, vt in Musicis προοίμια. in quibus plurimus fuit Claudianus separato carmine à iusto poëmate. Diuinus autem poëta vnum corpus fecit. Illa enim fuerant procœmium: Ille ego qui quondam. vt pessima temeritate prætulerint arbitrium suum ij, qui exemerunt ea de iudicio tanti viri. Tales sunt operum conclusiones, quas epilogos Græci vocant, vt apud Horatium,

Exegi monumentum aere perennius.

Et apud Ouidium.

Iamq; opus exegi quod nec Iouis ira, nec ignes,

quæ sunt à iusto opere separatæ. At non separauit idem Virgilius in Georgicis.

Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope.

Ita Iulius Scaliger vtroq; in loco. Cui Collegam dabis Sebastianum Corradum. qui putat, admirabili nexu voluisse Virgilium coniungere rem pastoritiam, rusticam, & ciuilem, quarum alia nascitur ex alia.

Vt

Vt enim hanc triplicem varietatem, inquit, implexam esse colligatamque demonstraret, ita cum Bucolicis Georgica coniunxit.

Hinc canere incipiam.

Cum autem Georgica sic terminasset:

Hæc super aruorum cultu, pecorumq; canebam, &c.
Illo Virgilium me tempore dulcis alebat
Parthenope, studijs florentem ignobilis oti:
Carmina qui lusi pastorum, audaxq; iuuenta
Tityre te cecini patulæ sub tegmine fagi:

Cum inquam ita finem fecisset Georgicis, Aeneida cum vtrisque pulcherrimo demum artificio copulauit.

Ille ego qui quondam gracili modulatus auena, &c.

Hoc istorum de Virgiliani operis exordio iudicium est. Sed tamen ego superiorem illam multò probandam magis opinionem puto eorum, qui arma virumq; principium volunt. Quia neque Varus, ac Tucca, neque quispiam alius vnquam ausus fuisset operi, tàm augusto, tàm temerè manus admouere: nec ab alio ea traditur historia, quàm à Niseo Grammatico: qui dicebat, accepisse se à senioribus, Tuccam, & Varum induxisse versus illos, ac sustulisse, quod est apud Donatum in vita Virgilij. Adde quod character, ac forma dicendi non videtur omninò Virgiliana, sed non nihil abhorrens à prisco sæculo. Denique [Arma virumq;] initium mihi videtur esse similius Græcorum exordijs, quos Virgilius æmulabatur. Quantum enim attinet ad nexum illum Corradi, possum Homerum opponere: qui quædam etiam argumenta proluserat, quæ poëmatis initio non commemorauit. Quare ex ijs qui Virgilium imitati sunt, cuiusmodi est Valerius Flaccus, Silius, Claudianus, alij, nemo principium, Ille ego qui quondam, sed Arma virumque cano, est imitatus.

LOCVS II.

AN AENEAS VENERIT IN Italiam primus.

------- Troiæ qui primus ab oris
Italiam fato profugus, Lauinaq; venit
Littora.

Ne hic quidem magnopere necesse habemus ad Aristotelis tribunal ire. Sed tamen aggrediemur hoc loco postremam disputationis partem eius auctoritate firmare.

Quærat igitur aliquis, quo pacto primus in Italiam venerit Aeneas, cum antea veniſſent iam Antenor, & Euander, vt ab ipſo Virgilio dicitur in primo, ac ſeptimo Aeneid. Haud ita difficilis hæc eſt quæſtio. ſed tamen ſunt, qui ad eam expediendam venantur aliquam remotiorem notionem, atque ſententiam, quæ lateat in ipſo nomine, primus. Dicunt ergo, primum hoc loco non eſſe temporis ordine primum, ſed dignitate principem, atque primarium. Ita quippè etiam in viij. dicitur.

Primus ab ætherio venit Saturnus Olympo.

Saturno tamen prior, ſi temporis ordinem ſpectes, venerat in Italiam Ianus. Et in ſecundo Duces enumerantur multi, ac varij, qui ex equo deſcenderunt Troiano.

-------- Lætiq; cauo ſe robore promunt
Therſandrus, Sthenelusq; duces, & dirus Vlyſſes
Demiſſum lapſi per funem, Athamaſq; Thoaſq;
Telideſq; Neoptolemus.

Quibus enumeratis, additur illicò.

---------- Primuſq; Machaon,
Et Menelaus, & ipſe doli fabricator Epeus.

Cur enim poſt tàm multos, qui iam ex equo prodierant, primus dicitur eſſe Machaon, niſi quia princeps, & primarius erat honore, ac dignitate? ?

Mihi probatur iſtorum ingenium: defenſio non probatur. Non enim eſt neceſſe tàm ſagaciter exquirere nominis illam etymologiam, quæ alioqui veriſſima eſt. Non eſt, inquam, neceſſe: quia vt Antenor Troia profectus in eam venerit regionem, quæ conſecutis poſteà temporibus adiuncta fuit Italiæ, eo tamen tempore dici ea non potuit Italiæ pars; cum Rubico, quemadmodum ait Plinius, eſſet olim Italiæ finis. Rubico autem eſt in Aemilia, ab illa procul vrbe, quam ibi condidit Antenor, vbi fuere poſtea Veneti, ac Patauini, vt ipſe declarat Virgilius totam rei geſtæ ſeriem complexus breuiſsimè.

Antenor potuit mediis elapſus Achiuis
Illyricos penetrare ſinus, atque intima tutus
Regna Liburnorum, & fontem ſuperare Timaui.
Vnde per ora nouem vaſto cum murmure montis
It mare proruptum, & pelago premit arua ſonanti
Hic tamen ille Vrbem Patauí, ſedeſq; locauit
Teucrorum, &c.

Sed eſto, venerit in Italiam: non tamen venit in arua Lauinia. Euander verò ipſe venit quidem in Italiam, ſed Troiæ non venit ab oris. Itaque componenda ſunt omnia, atque in Aeneam conferēda. Is enim ita dicitur primus, vt eo nemo venerit in Italiam prior, fato profu-

gus,

gus, ab oris Troianis, in arua Lauinia. Ceterum, vt, quod initio polliciti sumus, addamus operi iam perfecto cumulũ ex Aristotele, possumus hìc defensionẽ promere septimam quam in Prolegomenis exposuimus: vbi diximus ab eo defensum Homerum, affirmantem solam Vrsam non occidere, & æquore non mergi: quia cetera sidera, quæ in Arctico sunt circulo, quamquam non merguntur, aut occidunt, nota tamen vulgò non sunt. quæ autem nota non sunt, pro nullis habentur. quæ notissima, sola esse censentur. τὸ γὰρ γνωριμώτατον, μόνον, inquit Aristoteles. fas est, inquam, inde defensionem petere, atque affirmare, primum Aeneam esse, qui venerit in Italiam ab oris Troianis; quia notissimus, & nobilissimus est: ceteri, si qui venerint, ignobilissimi, ac propterea nulli existimandi sunt.

LOCVS III.

DE IVNONE INFENSA

An aliquid absurdi sit in eo commento.

Cum Iuno tacitum seruans sub pectore vulnus,
Hæc secum. me ne incœpto desistere victam,
Nec posse Italia Teucrorum auertere Regem?

Mirabitur, opinor, quicunq; legit hæc, cur summa prudentia vir, ac sapientissimus poëta Virgilius Deos ita infensos, aduersosq; faciat pijs hominibus, ac bonis, qualis Aeneas ipse describitur: & cur eosdem inter se simultates exercere comminiscatur.

Quantum attinet ad intestinas Deorum inimicitias, allegoriam alibi ego, hoc est, in orat. volum. 1. orat. sept. retexui, quæ figmentum istud à reprehensione liberaret. Dixi quippè ex antiquorum opinione Philosophorum, altercantibus inter se Dijs elementa, & rerum initia significari, quæ inuicem pugnant. Sed quia in ipso etiam poëmatis extimo cortice, nihil, quoad eius fieri possit, debet absurdum esse, rationique contrarium, videamus, an hanc amoliri difficultatem, obicemq; tollere aliqua ratione possimus. Amoliemur autem facilè, si nostro cum animo reputemus, omnium omninò gentium esse opinionem de Numine aliquo mortalibus in re perdifficili semper opitulante. Cum enim aliquid fieri vident præter morem, vsumq; communem, eum diuina sine dubio credunt adiutum ope, qui tàm facilè perficere potuerit, quod alioqui tam arduum erat, atque difficile. Disputat

ſputat hac de re Cicero præclarè in libro ij. de Natura Deorum extremo; contendens neminem è Romanis illis clariſſimis Imperatoribus ſine peculiari aliquo Deo res egregias, ac propterea difficillimas peregiſſe. Sic enim loquitur de amore Deorum in homines. Sin autem his conſulunt, qui quaſi magnam quandam inſulam incolunt, quàm nos orbem terræ vocamus, etiam illis conſulunt, qui partes eius Inſulæ tenent, Europam, Aſiam, Africam: ergo & earum partes diligunt: vt Romam, Athenas, Spartam, Rhodum, & earum Vrbium ſeparatim ab vniuerſis ſingulos diligunt: vt Pyrrhi bello Curium, Fabritium, Coruncanum; primo Punico, Calatinum, Duillium, Metellum, Luctatium; Secundo, Maximum, Marcellum, Africanum: Poſt hos, Paulum, Gracchum, Catonem, patrumuè memoria Scipionem, Lælium, multoſq; præterea, & noſtra Ciuitas, & Græcia tulit ſingulares viros, quorum neminem niſi iuuante Deo, talem fuiſſe credendum eſt. Quæ ratio poëtas, maximèq; Homerum impulit, vt principibus Heroum, Vlyſſi, Diomedi, Agamemnoni, Achilli, certos Deos diſcriminum, & periculorum comites adiungerent. Hęc inquam eo loco Cicero diſputat, egregiè declarans quod contendebam. Igitur Aeneas, qui tàm longo perfunctus itinere, tàm multis agitatus tempeſtatibus, tàm paruo inſtructus comitatu Italiam aliquando tenet, gentes bellicoſiſſimas acie vincit, Imperium ſubitò parat, putabitur vulgò non potuiſſe ex tàm magnis euadere periculis, ac tantam felicitatem adipiſci, niſi aliquo inſtinctu, præſidioq; diuinitatis. Quod cum probè Virgilius animaduerteret, fecit eum identidem, ac ſubindè ab oraculis, à Venere, à Dijs Penatibus admoneri.

At ijdem illi mortales, eo tempore, hoc etiam in animum induxerant ſuum: Deos inter ſe digladiari, atque inimicitias profiteri priuatis ex cauſis ſolere. quo fit, vt qui putare facilè poſſent, Aeneam à Dijs illis promotum, adiutumque fuiſſe, quos præcipuo quodam honore coluiſſet, credere quoque deberent, alios eundem habuiſſe Deos infenſos, quos ſi minus ipſe, maiores certè, aut propinqui violaſſent. Huiuſmodi ſanè Iuno eſt à Paride læſa: quæ dum Aeneam probum, & bonum tàm male habet, ac vexat, à Paride ipſo pœnas ſibi repetere videtur, vt dicitur initio primi.

Seruit itaque Virgilius opinioni populari de Dijs: cui ſeruiendum à poëta eſſe docet Ariſtoteles, vt in Prolegomenis diximus, defenſione tertia, infraq; demonſtrabimus pluribus. Nihil adeò eſt hìc abhorrens ab antiquorum decoro, aut alienum ab eorum ratione temporum, aut cum ijs pugnans opinionibus populi de Deorum Natura, quas immutare, aut corrigere poëtas tanquam interdicto quodam Prætoris vetat Ariſtoteles. Quicquid enim alienum in hoc commento à recta ratione eſt, ſolum id intelligitur à nobis, qui veram de diuina na-

na natura consignatam animis notionem habemus. Virgilius verò, non nostræ, sed ætatis suæ seruit opinionibus, & quidem vulgaribus, ac peruagatis.

LOCVS IV.

DE TOTIVS OPERIS PRAEPARATIONE: quæ videtur in Aeneide desiderari.

Vix è conspectu Siculæ telluris in altum
Vela dabant læti, &c.

Non tàm accusatores hic habet Virgilius, quàm amicos dolentes, quòd non eo modo munierit Aeneidi viam, quemadmodum Homerus muniuit poëmatis suis. Nam in Odyss. lib. 1. Deorum inducit concilium: vbi tàm multa de Vlysse dicuntur, vt qui lecturus est carmen, satis instructus paratusq; ad cetera percipienda possit accedere; cum satis superq; factus sit certior de rebus ab eo ante iam gestis, deque gerendis in illo poëmate Deorum concionibus admoneatur. Virgilium autem veniisse aiunt ad rei narrationem, & syntheſim operis imparatum. quippè qui propositione, atque inuocatione vix absoluta, discedentem è Sicilia, tempestatibus expulsum in altum, Neptuni beneficio ereptum, appulsumq; Carthaginem facit Aeneam: cum interea qui legunt hæc minimè cognitum habeant, quid hominis ille sit, eiusdemq; res, & gestas & gerendas prorsus ignorent. Id verò eo reprehendendum magis existimant, quòd Aristoteles velit, in Epico etiam poëmate isagogen aliquam, & quasi manu ductionem esse, quam ipse prologum nominat, ei videlicet respondentem Tragœdiæ parti, quæ ipso statim initio audientes, ac spectatores de præteritis docet, admonet, quantum satis est, de futuris. Quin omnium artium, ac disciplinarum ea videtur esse lex, vt principio informis aliqua, & inchoata rerum earum cognitio tradatur, quæ tractandæ postmodum enucleatè sunt, & copiosè dicendæ. Hæc isti sic dolent, & à Virgilio prætermissa esse queruntur.

Et quoniam hunc nacti locum appositè sumus, placet hic aliorum etiam iudicia ponere, Homerum Virgilio alijs nominibus anteferentium. Quamquam enim multa de hoc argumẽto multis sanè locis disputabuntur, erit tamen ex vsu hic præponere, quæ alibi tractari commodè accuratèq; nòn poterunt.

Castelluitrus igitur intimam poëticæ vim attingit, affirmans, Virgilium

gilium ab Homero ipsa imitatione superari, in qua sunt omnia; sed qua ratione superari putet, necesse est distinctè, planèq; proponere. Aristotelis profert,& tractat locum ex poëticæ cap.xxij. vbi sic loquitur. Quapropter Homerus poëta in hoc quoque, quemadmodum, & in ceteris, præcipua dignus est laude; quandoquidem omnium vnus quid ipsum deceat poëtam optimè nouit. decet autem poëtam ex sua ipsius persona pauca loqui: quia in eo imitator non est. alij igitur poëtæ in toto poëmate loquuntur,& agunt: pauca verò imitantur, & rarò: contra Homerus; pauca admodum præfatus, modò virum, modò mulierem inducit, &c. Ex his Aristotelis verbis id consequens esse contendit homo acutus, & lynceus: Homerum, qui tàm crebras, tamque longas habet conciones Deorum, hominumuè, multo magis multoque æquius mereri poëtæ nomen, quàm Virgilium, qui nec tàm crebrò, nec tàm verbosè loquentes inducit in poëmate personas: sed identidem, ac sæpè loquitur ipse, quod eo loco disertè damnat Aristoteles, cum ait, alios poëtas, malos nimirum, aut certè non æque bonos, ac Homerum, in toto poëmate agere, atque immiscere se, hoc est loqui sæpissimè. Quin ex hoc eodem loco intelligi vult, Aristoteli non probari sententias illas,& dicta poëtarum, quæ videntur esse quædam quasi paræneses, atque orationes ad populum. Vt.

Nescia mens hominum fati, sortisq; futuræ,
Et seruare modum rebus sublata secundis.
Turno tempus erit, cum magno optauerit emptum
Intactum Pallanta, & cum spolia ista, diemq;
Oderit, &c.
Heu vatum ignaræ mentes: quid vota furentem,
Quid delubra iuuant?

Multoque minus Aristotelis huic doctrinæ consentaneas putat exclamationes illas,& declamationes Lucani concionantis.

Quis furor ò ciues, quæ tanta licentia ferri?

Sed hæc de Homero, ac Virgilio disputat vniuersè, alterum cum altero conferens. ad extremum verò locos certos vtriusq; designat, & comparat, quos quia non attinet singulos recensere, proferam ex omnibus tantummodò duos. Primus est in Aeneidos primo de Aenea Carthaginem ad Didonem Reginam cum socijs, & classe delato: cui Homericum Vlyssem longè anteponit eo nomine, quòd ad Alcinoum venerit solus, & sine comitatu. Res enim, inquit, admirabilior fuit, quod Vlysses ita solus tàm facilè à Rege, atque à Phæacensibus exciperetur. Aeneas verò quàm afferat admirabilitatem, si tàm multis stipatus comitibus,& instructus classe, hospitium apud Didonem inuenerit? Videtur demum Castelluitrus id sibi velle, quod apud Aristotelem est in capite illo xxiij. poëtices, poëtã perquirere, ac seligere

debere

debere in materia, quam tractat id quod admirabilius est; vt multo magis, multoq; facilius oblectet audientes. Secundus locus est in Aeneidos vj. de eodem Aenea Inferos adeunte. Viuus enim adhuc, mortalisq; in Tartara penitus intrat, videtq; animas, non eorum tantum, qui iam è vita decesserant, sed eorum etiam, qui nascituri erant, eorumq; singulas res cognoscit, ac censet. Duo igitur hic improbat, in quorum vno posthabendum Homero Virgilium omninò decernit, in altero eidem Virgilio anteponit Ouidium. Primum est: audaciam fuisse Virgilij non ferendam, quòd Aeneam ea via deduxerit ad Inferos, quæ paucissimis antea, hoc est Theseo, Herculi, Pirithoo fuerat diuinitus aperta, quemadmodum fama ferebat, & fabulæ. In eo quippè prudentiorem Homerum fuisse confirmat, quòd Vlyssem Inferorum Manes videntem, alloquentemq; facit ratione quadam, ac via magis vsitata, hoc est eius beneficio magiæ, quæ νεκρομαντία dicitur. Secundum: vaticinium illud Anchisij sub libri finem esse plus nimio explicatum, ac planum: cum videatur ea vis esse vaticinij, & natura, vt obscuritatem habeat, & ambages. Videmus enim à vaticinantibus propria personarum taceri nomina, res gerendas abditè, tectèq; proferri, eos, à quibus gerendæ sunt, non demonstrari palam, sed indicari tãtummodo subobscure. Itaque melius in hoc genere sibi cauisse Ouidium ait: cum Protheum induxit Thetidi de Achille vaticinantem perplexè, neque nomen, aut alias explicantem notas, quibus ipsæ res gerendæ perspicuè noscì, ac facilè distingui potuissent.

Concipe. mater eris iuuenis, qui fortibus ausis
Acta patris vincet, maiorq; vocabitur illo.

At Anchises in eo vaticinio distinguit omnia notis, atque insignibus suis, seriem texit posterorum vniuersam, non planè tantum, sed etiam putidè: nomina, patriam, studia, vnicuiq; designat, perinde ac si res gestas historico stylo narraret, non denunciaret vaticinantium more futuras.

Equidem hæc facillimè possem subterfugere omnia, si dicerem, Virgilium fuisse nonnullis partibus ab Homero superatum. Scio enim hanc multorum esse sententiam, qui Virgilium ipsum præter ceteros amant: & fieri facilè posse intelligo, vt cum ille magistrum æmulatur, ac sequitur ducem, multis quidem eum vincat nominibus, ac locis, multis irrito, cassoque conatu non assequatur. Sed quia nominatim decernere, quæ nam eæ partes, lociq; sint, quibus vincitur ab Homero, difficillimum est; nec tamen libet eum hic sine patrocinio, ac tutela deserere, conabor singulis, quę hoc loco aduersus Virgilium obijciuntur, quantum patitur mei mediocritas ingenij, respondere.

Ac primò quidem existimo præparationem illam, & isagogen Virgilio non fuisse sic necessariam, quemadmodum fuit Homero. Qui enim

enim post Homerum de Troiano canebat Aenea, videbat iam eum hominem esse notissimum omnibus ab Iliade, in qua congressus Aeneæ cum Achille describitur, aliaq; commemorantur, quibus Aeneas satis iam erat, superq; nobilitatus. Vlysses verò tum primùm accipiebat à carminibus lucem, adeoque necesse fuit illud adornari, & cogi Deorum concilium, vbi res eius gestæ, gerendæq; memorarentur.

De imitatione poëtica, quam in Homero vult ampliorem esse Casteluitrus, dico primùm, maximè mihi dubium videri quid sibi velit Aristoteles cum ait, Epicos, cum ipsi per se loquuntur, non esse imitatores. Si enim imitationem poëticam ita contrahit, vt eam sola personarum inductione circumscribat, sequitur, Lyricos, nec imitatores, nec poëtas esse. Sed de his ego disputaui pluribus, meamque de quęstione perdifficili proposui sententiam in commentario de elegia cap. iv. & v. Itaque, vt ea nunc prætermittam, & quod sentio breuiter exponam, putauerim eo loco, de quo disserit Casteluitrus, non esse sermonem de imitatione poëtica vniuersè, sed de Epica nominatim, cui disertè tribuitur ab Aristotele alibi illud imitationis genus peculiare, ac proprium, in quo poëta loquitur subinde mutatus. loquitur autem mutatus cum personas inducit, in easque quodammodo se conuertit, ac mutat. Quare si poëta quispiam ex Epicis esset, qui se non mutaret, Epicus imitator dici non posset. Ex quo consequens esse debet, vt cum Epicus poëta loquitur minimè mutatus, nec inductis personis, imitatoris non quidē cuiuslibet vniuersè, sed Epici nomen imitatōris vix mereatur, aut ne mereatur quidē: cum in proprio imitationis genere non versetur, nisi personarum etiam addat inductionem. Ceterum hæc nullus dixerim, & in parergo. iterum magis propriè, certiusq; respondeo, quacumq; demum ratione locus ille sit explicandus. Respondeo, inquam, illud tantum intelligere nos ex Aristotele posse: alios poëtas, qui ad ea vsque tempora scripserant, minus fuisse poëtas, quàm Homerum, quia in toto pene poëmate loquebantur ipsi, personas agentes, & colloquentes vix inducebant; non tamen hinc sequi, Virgilium tàm rarò personas inducere, vt cum Homero collatus dici minus imitans, ac poëta debeat. Quamquam enim minus inducit, quàm Homerus, inducit tamen magis in loco, inducit prudentius, inducit ampliore cum apparatu, ac decoro. Illi ergo minus poëtæ sunt, quia non modò minus inducunt, quàm Homerus, sed quia non inducunt quantum est satis, ac postulat ratio. hic verò quia tàm crebrò inducit, vt nulla pars imitationis Epicę desideretur, tàm prudenter inducit, vt nihil habeat nimium, & temperantiam teneat, hic, inquā, minus poëta dici non debet, sed alieno tempore, ac loco minus inducēs. quod si vidisset Arist. Virgiliū Homero fortassis in hoc genere antepositurus esset. Nemo enim in Virgilij versatus Aeneide, Homerum opi-

opinor leget, cui collocutiones, inductioneſq; concionantium perſonarum crebriores eſſe non videantur, quàm ferre legentium labor, & ſatietas queat. Id quod euertere quoque poſſit ea, quæ de longioribus Homeri cõcionibus ab eodem Caſteluitro dicebantur. Quotus enim quiſque non videt hìc eſſe præſtigias Sophiſtarum? Nam qui longioribus, quàm par ſit, concionibus vtitur, vtitur imitatione quidem ampliore, ſed intemperante, ac praua. quo fit, vt quamquam plus imitatur, minus tamen imitetur bene: quia decoro, prudentiæq; non ſeruit. quod quia Virgilius introſpiciebat penitus, conciones fecit breuiores, hoc eſt idonea longitudine iuſtas. Itaque hoc nomine ſemper eſt doctorum hominum iudicio non modò laudatus, verum etiam Homero duci, ac magiſtro præpoſitus. De Aenea verò cum illo ſuorum comitatu Carthaginem delato confidenter affirmauerim, minus rem admirabilem fuiſſe, ſed magis credibilem, ac veroſimilem, quàm quod in Vlyſſe ad Alcinoum omninò ſine ſocijs adeunte, hoſpitioq; tàm honorifice recepto fingit Homerus. Quamquam verò Ariſtoteles id præcepit ſequẽdum poëtæ ſemper eſſe, quod admirabilius eſt, clauſit tamen præceptionem illam limitibus ſuis, eaque lege vult mirabiliora eligi debere, ſi credibilia, & veroſimilia ſint. At multo veroſimilius eſt quod à Virgilio canitur, quàm quod de Vlyſſe ſic ſolitario dicitur ab Homero. quippe fidem faciebant Troiani comites, vt pro filio Veneris haberetur, ac pro eo, quem eſſe ſe prædicabat apud Didonem. Vlyſſi quis fidem faceret apud Alcinoum, & Phæacenſes, cum ſolus fuiſſet eiectus in terram, neque ſocios vllos haberet, qui hominem illum Vlyſſem eſſe teſtarentur? Quis ergo etiam facilè credat, eum Phæaciæ Regem prudentiſſimum homini peregrino, ac ſolitario tàm temere fidem habuiſſe? Id profectò non minus abhorrere videtur à veroſimili, quam eiuſdem Vlyſſis in Ithacam à Phæacia reditus. Reuertit enim in patriam toto conſopitus itinere, ſoluſque à Phæacenſibus expoſitus in Inſula eſt, & relictus in littore dormiens. quod quia patere accuſatoribus poſſe videt Ariſtoteles, inſtituta de induſtria defenſione in fine cap. xxij. vindicauit. Sed Virgilij figmentum, & Aeneæ cum Troianis ad Didonem aduentus, hoc patrocinio non eget, quia credibilis, ac veroſimilis eſt.

Denique de illa ad Inferos itione non habeo neceſſe multa dicere. Poterat enim Virgilius Homerum ſequi, beneficio vtens, artificioque veteris magiæ: ſed comminiſci maluit quod admirabilius erat, nec à veroſimili abhorrebat. Neque enim erat incredibile, immo verò maximè humanæ congruens id eſſe fidei tum videbatur; Aeneam eo modo, eaque via Inferos adire, qua ceteri olim ante illum opinione mortalium adijſſent Heroes, Theſeus, Pirithous, Hercules. Quantum verò attinet ad vaticinium: nullis opinor auctoribus dicitur, oportere neceſſariò

cessariò obscurum esse, atque perplexum. Vt enim oracula interdum aliqua in templis apud poëtas reddantur obscura, vaticinia tamen apud eosdem multa sunt plana,& aperta.Placuit Ouidio vaticinij genus obscurum : placuit explanatum Virgilio : quia sciebat vtrumque tractari posse pro arbitratu . Nec quisquam est,quod ego sciam, qui præcipiat poëtis, vt semper in vaticinijs inuoluant ambagibus verũ,& versibus obscurissimis:quemadmodũ contenditur à Casteluitro.

LOCVS V.

DE AENEA INTER FLVCTVS ac Maris tempestatem exanimato.

An aliquid in decoro peccatum sit.

Extemplo Aneæ soluuntur frigore membra, &c.

Nullus est hic reprehendendi modus.Decorũ in Aenea pleriq;desiderant summo consentaneum Imperatori . quem quia fortissimum, animoque præsentissimum esse decet, dicunt nihil Aeneam extimescere oportuisse . At Virgilius vsque adeo timentem facit, vt exanimatum etiam inducat, & dolenter admodum de vitæ periculo conquerentem. Facilè tamen hi refellentur ex Aristotele; qui libro Ethicorum tertio cap. vj. docere non dubitat, licere fortibus viris extimescere, non quidem mortem (fortitudo enim despicit omnia terribilia, quorum primum est mors,) sed mortis genus aliquod inglorium, nominatimq; quod accidere solet in mari . libet hic eius verba de scripto sic recitare . At non in omni mortis genere vir fortis impauidus esse videtur . non enim in ea, quæ in mari accidit, aut in morbis,interritus est,sed in illa,quę putatur pulcherrima,qualis prorsus in bello contingit. imminet quippe tum obitus in maximo dignissimoq; periculo . Is ergo fortis propriè verèq; dicitur, qui in honestæ mortis periculo, atque in ijs omnibus,quæ subitò, ac de improuiso eueniunt,imperterritus est . huiusmodi verò sunt quæ in bello contingunt. Quin etiam in mari, atque in morbis ipsis timore vacat vir fortis,non tamen vt nautæ. hi enim propter vsum, atque experimentum rei confidentes sunt,& spem habent euadendi . fortes verò neque se sperant euasuros,neque timent mortem vniuerse, sed genus ipsum mortis molestissime ferunt. Plura etiam ibi disputat Aristoteles, quorum instructus auctoritate, ac pondere facilè Virgilium liberes, si dicas, Aeneam non quidem mortem, sed ipsum in mari mortis genus perti-

pertimuisse. Quæ ratio vindicet etiam Statium in Thebaid. lib. vj. Virgilium enim secutus, fingit in eodem aquarum periculo sic ingemiscentem Hippomedontem.

--------- Fluuione (pudet) Mars inclyte merges
Hanc animam? segnesq; lacus, & stagna subibo
Ceu pecoris custos subito torrentis iniquis
Interceptus aquis? ideo ne occumbere ferro
Non potui?

Vindicabit eadem defensio poëtarum etiam omnium parentem Homerum, qui ceteris auctor fuit, vt ita expostulantes, eiulantesq; inducerent inter maris tempestates, atque pericula fortes viros. Nam in Odiss. v. Vlysses, paulo ante, quàm in Corcyram descendat, in postremo imminentis naufragij discrimine perterritus gemit, & lamentatur hoc pene modo.

Argolici proceres ò terq; quaterq; beati,
Qui quondam ad magnæ perijstis mœnia Troiæ,
Sic Danaum ducibus, natisque iubentibus Atrei.
O mihi tunc vtinam rupissent stamina Parcæ,
Cum iuxta Aeacidem crudeli vulnere mersum
Dardanias in me Teucri torsere sagittas.
Tunc etenim mihi funus erat, mihi pompa meorum,
Et populi luctus, & fama inscripta sepulcro.
Nunc autem heu tristi sic morte perire necesse est.

Quin Euripidem Tragicum non alia, quàm hac, de qua dicimus, ratione purgabimus, si Herculem apud illum intoleranter mortẽ ferentem, & muliebriter eiulantẽ tueri, ac defendere voluerimus. Fas enim erit dicere, non illum dolere, quòd sibi moriendum sit, sed quod eo nominatim genere mortis sit obeundum. Moritur enim ex pestifero sanguine Centauri, quo tunicã imbuerat Deianira. Vel ex ipsis Herculis verbis id intelligetur planissimè, quæ M. Tullius in Tusculanarum secundo, pulcherrima, hoc est vera, germanaq; latinitate donauit.

Quantum vna vecors Oenei partu edita.
Hæc me irretiuit veste furiali inscium,
Quæ lateri inhærens morsa lacerat viscera,
Vrgensq; grauiter pulmonum haurit spiritus.
Iam decolorem sanguinem omnem exorbuit.
Ipse illigatus peste interimor textili.
Hos non hostilis dextra, non terra edita
Moles Gigantum, non biformato impetu
Centaurus ictus corpori infixit meo,
Non Graia vis, non barbara vlla immanitas,
Non sæua terris gens relegata vltimis,

Quas peragrans, vndiq; omnem hinc feritatem expuli:
Sed feminea, vir, feminea interimor manu.

Et post.

-------- O ante victrices manus
O pectora, ò terga, ò lacertorum tori:
Vestro ne pressu quondam Nemeæus Leo
Frendens efflauit grauiter extremum halitum?
Hæc dextra Lernam tetram mactata Excetra
Placauit, &c.

Causam ergo tàm magni doloris,& questus ipse declarat Hercules nõ eam esse,quòd mori deberet, sed quòd cerneret,ex feminea socordia sibi moriendum esse,ac veneno Centauri, qui tantus fuisset Tyrannorum omnium domitor, liberatorq; terrarum. Quam planè causam in Aeneæ conquestione,ac gemitu vidit, atque in hunc exposuit modum Iouianus Põtanus in libro de fortitud. Quorsum hęc finguntur à poëta in viri,ducisq; fortissimi persona , vt quem hostiles tot congressus numquam fregissent,præruptus ille aquæ mons tam humiliter , atque infractè de sua,suorumq;coëgerit salute desperare? An quòd illud moriendi genus nullum esset decus allaturum,nec virtuti suæ locum sentiret vllum inter transtra , remosq; relictum ? Itaq; non fert grauato animo mori, sed quòd sic moriendum esset. His omnino similia docet Scaliger lib.iij.poët.cap.xij. & vulgi videtur etiam esse sententia , eos habendos infelicissimos duces,qui extra belli aleam moriãtur. Quare Alexander ille Macedo,cui prestantissima fortitudo Magni nomen attribuit, habebatur à suis longè miserrimus in periculo mortis inglo-riæ.Cum enim,vt est apud Curtiũ,in Cydnum amnẽ leuandi æstus,abluendiq; corporis studio descendisset, aquarumq; frigore obriguisset adeò,vt spiritũ iam extremum agere videretur; cõfestim in tabernaculũ relatus à ministris,ac familiaribus est,lacrymantibus , & acerbè querentibus,in tanto impetu,cursuq; rerũ,omnis ætatis, ac memoriæ clarissimũ Regem non in acie saltem,non ab hoste deictũ,sed abluentẽ aqua corpus ereptum esse.Ac ne ipsum met Alexandrũ aliter de suo casu existimasse putemus , hæc adiungit Historicus . Animi ægritudo corpus vrgebat. quippe Darium quinto die in Ciliciam fore nũciabatur.Vinctum ergo se tradi,& tantam victoriã eripi sibi è manibus,obscuraq; & ignobili morte in tabernaculo extingui se querebatur. Illustrat hunc locum egregiè Seuerus Imperator: qui cum à Mathematico,vt narrat Lampridius , accepisset,gladio se periturum,mirificè lætatus est,quòd sibi bellicã,atq; Imperatoriam mortem imminere cerneret:tantumq; ex illa denunciatione concepit animo gaudiũ,vt Dijs se comparandũ putaret,si bello atq; inter dimicandum è vita discederet.Hæc vniuersè de morte diximus ignobili , atq; obscura,quam viri fortes

fortes semper extimuerunt. Ceterum, vt eò reuertamur, vnde digressi sumus, nullã video miseriorem antiquos existimasse mortem, quàm quæ duces bello præstantes occuparet in mari. Vel ipse Nazianz. Gregor. vir doctissimus, idemq; sanctissimus id docet; affirmans, obitũ in mari miserrimũ videri, quia nullã habent ibi viri præstantes occasionem ostendendæ virtutis: docet Ouidius in tempestate illa sua Tristium lib. primi, eleg. ij.

Nec lethum timeo: genus est miserabile lethi:
Demite naufragium; mors mihi munus erit.
Est aliquid fatoq; suo, ferroq; cadentem
In solida moriens ponere corpus humo:
Et mandare suis aliqua, & sperare sepulcrum,
Et non æquoreis piscibus esse cibum.

Sed in his Ouidij versibus alia designari præterea videtur causa tam magni timoris ex interitu inter fluctus imminente. Non enim dolet, quod in acie non sit moriturus, sed quod carituru sepulcro sit, illudq; aditurus, opinor, infortuniũ, quod morientibus in aquis accidere credebat antiquitas. Putarunt enim veteres, interitum euenientẽ mortalibus inter aquas ipsi quoq; animę exitiabilẽ esse. sic inquã, vt funditus interire, ac prorsus extingui crederetur anima, si corpus periret in aquis. Aiunt aliqui tradita hæc ab Homero fuisse in Odyss. quarto; cum de morte Aiacis Oilei narrationem ita clausit extremam.

Sic Aiax perijt, salsam vt bibit æquoris vndam.

Alios enim, quos alibi mortuos commemorat Homerus, non perijsse dicit, sed domum adijsse Plutonis, atq; ad Inferos descẽdisse: quia non prorsus interierant. Inde nimirum factũ putat Synesius in epist. iv. vt cũ ab Homero mortui excitantur ab Inferis, inter eos numquã Aiax Oileus inducatur, qui perierat totus in mari. Huc nimirum pertinet Heracliti vox, pronunciantis, aquã animis esse mortem. atq; hæc opinio tàm vulgaris erat, vt quidã milites, quemadmodum docet eodem loco Synesius, decreuerint necẽ sibi sua manu consciscere; ne naufragio perirent: rati, mortem in aquis esse animę mortaliũ exitialem. Volebant, inquit ille, animam in aerem difflari, non aquis extingui.

Hæc ego cõmemoraui, vt locus hic expleretur partibus suis, nõ vt significarẽ, Aeneam de illo interitu animæ quicquam cogitasse dũ timuit. satis enim illi timoris, doloriſq; ampla suppetebat ex eo causa, quòd ignobili morte, nec inter armatas copias interiret. Hoc verò cũ dicitur, cumulatissime defendi videtur ab accusatoribus, qui formidinẽ illam, & tàm mollem in viro forti conquestionem explodunt.

Nihilo tamen minus est aliquid vltra, quod obijci queat ex Aristot. cap. xij. in poëticis. vbi cum de morata fabula disputat; illud docet: in eo genere peccare poëtas cũ personæ minimè congruentes, aut inde-

coros attribuunt mores, qualis, inquit, eiulatio est Vlyssis in Scylla. Si enim Vlysses reprehenditur ingemiscens in tempestate illa prope Phæaciam, de qua supra diximus, reprehendendus etiam erit Virgilius, qui gemitum, & conquestionem Aeneæ ex eo loco sic expresit, vt ipsa pene verba describere videatur. Sed quomodo sibi constabit Aristoteles, qui in cap. illo vj. lib. Ethic. iij. veniam dat, quemadmodum vidimus, fortibus viris, vt in maris periculosa tempestate pertimescant? Neq; verò dicere iure possumus, ac vere; improbari hoc loco eiulantem Vlysem, non quidem in maris periculo prope Phæaciam, siue Corcyram, sed inter Scyllam, Charibdimq; periclitantem, quod est in Odyss. xij. Nullas enim ibi querimonias, aut eiulatus profert Vlysses; sed socios potius hortatur, vt patienter incommodum ferāt. Vt aliquid hic ego diuinem cum Victorio, ac Robertello, dixerim, ab Arist. damnari non Homerum, sed poētam aliquem dramaticū, & fortasis Epicharmum: cuius Vlysem naufragum laudat in lib. xiv. Athenæus. Damnari autem non propterea, quòd in naufragio dolentē Vlysem fecerit (hoc enim, vt diximus, reprehendere non potest Aristoteles, quin à se ipso dissentiat) sed quòd induxerit eundem ita muliebriter eiulantem, vt nihil addiderit de illa, quæ apud Homerum, & Virgiliū est moriēdi cupiditate in acie, ac bello, quæq; deprehensos in tempestatibus Heroes, ac fortes Imperatores excruciat. Aliud enim est angi, ac dolere tantum, quia moriendum est; aliud cruciari eo maximè nomine, quòd obscuro interitus genere, nec in arena moriendum sit. Maneat ergo, Vlysem illum apud ignotum poētam doluisse tantū, quòd mori deberet, non doluisse, quòd extra belli pulcherrimam aleā moreretur, ac propterea reprehendendum esse: laudandum Aeneam Virgilianum, & Vlysem Homericum, quòd non de morte, sed genere mortis ignobili doleant, & conquerantur.

LOCVS VI.

DE CERVIS IN LYBIA.

An in ea regione licuerit Ceruos fingere, quos occideret Aeneas.

Nauim in conspectu nullam, trés littore ceruos
Prospicit errantes. hos tota armenta sequuntur.
Constitit hìc, arcumq; manu, celeresq; sagittas
Corripuit, fidus quæ tela gerebat Achates.

Critici Geographos huc omnes, atq; historicos ad Virgilium accusandum conuocant: qui ceruos in Africa nullos esse testificantur. Plinium

nium in primis suæ subscriptorem accusationis volunt, ceruis Africam omninò carere confirmantem in lib. viij.cap.iij. cui adstipulatur Aristot.& Herodotus. Quo grauius errasse Virgilium dicunt: cum, non hic tantum, verum etiam in Aeneid. iv. ceruos Lybiæ dederit Aenea & Didone venantibus.

Ecce feræ saxi deiectæ vertice caprae
Decurrère iugis; alia de parte patentes
Transmittunt cursu campos, atque agmina cerui
Puluerulenta fuga glomerant, montesq; relinquunt.

Similiter erratum putant in xj. vbi ad pyram Pallanti struendam milites lignatum dimissi, non modo notas vulgò arbores, sed olentem etiam cedrum succidisse dicuntur.

---------- Ferro sonat alta bipenni
Fraxinus, euertunt actas ad sydera pinus,
Robora nec cuneis, & olentem scindere cedrum,
Nec plaustris cessant vectare gementibus ornos.

At cedrus in Italia non est. neque enim cum cedrum dicimus, eam intelligi volumus arborem, quæ citri illa fert poma in Italia nunc vulgatissima, citrusq; propterea dicenda videtur esse, non cedrus. Video quippe à Dioscoride hanc in lib. j. cap.xxxvj. sic fuisse descriptam, vt cum ea cedro, de qua loquitur hic Virgilius vix vllam habere similitudinem queat. Postremo inquit Dioscorid. quæ Medica, vel Persica, vel Citromela, à Romanis vero Citria nominantur omnibus nota arborem habent toto fœcundam anno. pomum oblongum est, rugosum, colore ad aurum vergente, cum grauitate odoratum. semen habet pyrorum seminibus simile. Multas hic nobis designat notas, quibus citrum distinguere possimus à cedro. Hæc enim alterius est arbor generis, procera, & magna, nascitur q; tantum in Libano Palestinæ, atq; in Atlante, celeberrimo Mauritaniæ monte: apud Romanos olim summo in pretio ad ornamenta mensarum, & lectulorum. Differt prorsus à citro non modo fructu, ac pomis, verum etiam folijs, & proceritate. quia citrus haud multum crescit, vt videmus, & folia maiora quidem, quàm laurus habet, sed lauro simillima: cedrus autem & altissima prouenit, & folijs, odore, caudice, cupresso feminæ, aut iunipero similis est. His notis, atque nominibus hæ duæ secernuntur arbores inter se, nihilo minus tamen cedrum inuenias sæpe pro citro positam apud scriptores, & citrum pro cedro. Nos interea cedrum propriè dicimus arborem illam proceram, ac magnam de qua sine dubio canit Virgilius: eamque confirmamus in Italia non esse, sed tantum in Mauritania, atque in Syria, vt Plinius ipse testatur. Quare mirandum videtur maximè cur à poëta scientissimo inter arbores enumeretur, quæ cæduntur ad rogum Pallantis in Latio.

Haud sanè minorem afferunt admirationem onagri, quos item in Italia collocat, cum præcepta rustica legesq; describens Italis suis, ait interdum exercendam esse venationem, & cursu premendos non lepores solum, & ceruos, quibus abundat hæc regio, sed etiam onagros, quibus omnino caret. Sunt enim onagri siluestres asini, quorum greges ait Varro lib. ij. rei rusticæ cap. vj. esse in Phrygia, & Lycaonia, in Italia nullos, sed cicures omnes, ac mansuetos.

Vidit rei difficultatem Petr. Victor in lib. variarum lectionum xxx. viij. cap. j. Et quia modum euadendi non vidit, affirmare non dubitauit, peccasse quidem in his Virgilium, sed culpa leuissima: cuiusmodi maculas, inquit, negligunt poëtæ cum ornamenta sectantur. Nemo tamen æquis, opinor, audiet animis hæc de Virgilio, qui limatissimus est, artificioque sic tersus, vt ne labeculam quidem patiatur, aut næuum. Itaque confugerim ego potius ad illam defensionem, quam primo loco posuimus in Prolegomenis ex Aristotelis poëticæ cap. xxiij. vbi poëtarum errata bipartitò distinguit, ac diuidit: in ea, quæ poëticæ propria sunt, & in aduentitia, hoc est ea, quæ alienis peccantur in artibus. Priora propriè peccata esse contendit, posteriora minus propriè; adeoq; poëtis non adscribenda; cum præsertim idonea postulabat ratio, vt fingerent aliquid, quod ab alijs artibus abhorreret. Ad hunc, inquam, ego locum confugio, affirmoque non esse poëticæ propria illa, in quibus errare Virgilius dicitur, sed alterius disciplinę, hoc est historiæ naturalis, aut cosmographiæ diligentioris; quæ non prouincias modò, sed mores etiam incolarum, animantiaq; omnia describit, ac notat in singulis. Quare aduentitium hoc erit erratum, multoq; leuius, quàm quod Pindarus admisit cum ceruas fecit cornigeras, quæ cornibus carent. Si enim Pindarus culpa liberatur ab Aristotele, diciturque tantum peccare per accidens, non per se, multo liberandus est facilius hìc Latinus poëta, dicenduſq; in eo genere peccati accidentis extrinsecus errare leuius: quod est non errare. Id quod fortasse sibi voluit Petr. Victor. cum libere professus est, errasse Virgilium, sed leuissima culpa, hoc est ea, quam per accidens nominat Aristot. Quod si voluit, nihil à nobis alienum dicit: sed rem ipse non explicat. Ceterum hæc vniuersè diximus de tribus illis locis, deque alijs huiusmodi, qui apud Virgilium oppugnantur à Criticis. vna enim illa defensio tuetur singulos. Quia tamen aliam ego nominatim possum inire rationem ad ceruos in Africa retinendos, reseruabo patrocinium illud Aristotelis onagris, & cedro: nec dubitabo dicere, verè ceruos in Africa esse, ex auctoritate, testimonioq; multorum. Nam Oppianus lib. ij. de Venatione distinctè, planèq; posuit in Lybia ceruos.

Finibus extremis Lybiæ nutricis equorum

Ser-

Serpentum legio feruet cristata per agros.
At cum fusus arenoso sub culmine ceruus
Molles sub dio carpit per membra sopores,
Squammeus extemplo serpentum exercitus illum
Inuadit,&c.

At ne dicatur hic etiam errasse Oppianus eodem abreptus oestro, canendiq; studio, quo deceptus Virgilius sit, alios proferamus testes grauiores. Philostratus in lib. vj. vitæ Apollon. cap. xij. vbi ea percenset, quæ Apollonius ipse propè Nilum aspexit, ceruos nominatim ab eo visos esse commemorat, capreas, struthiones, & feras quasdam ex ceruo mistas, ac tauro. Albericus verò Gentilis in lib. Virgilian. lect. cap. viij. existimat Virgilium cum ceruos in Africa posuit, secutum esse Timæum historicum, cuius haud mediocris auctoritas est. Sed nulla sit Oppiani, Philostrati, Timæi, aut aliorum testificatio. ipso demum comprobatum experimento est, ceruorum in Africa greges esse. Tradit enim Brod. libro Miscellan. viij. cap. xiij. Italos à se, Gallosque, qui fuissent in Africa Barbarorum captiui ea de re interrogatos esse, ac respondisse in Africa ceruos se vidisse permultos.

Quod si tamen alicui auctoritas Aristotelis, & Herodoti, qui ceruos in Africa esse negarunt, tanta videtur esse, vt ne oculis quidem, ipsis existiment habendam fidem, dicere ad tuendum Virgilium poterit, eorum quidem æuo nullos in Africa ceruos fuisse, Virgilij autem ætate iam aliunde aduectos extitisse, adeoq; poëtam ea vti voluisse figura, quæ Græcè dicitur προλῆψις, latinè anticipatio. de qua necesse erit alijs in locis de industria, copioseq; disputare. Dat enim hæc figura poëtis veniam, vt anticipent tempora, dicantq; sine reprehensione aliqua multo iam ante fuisse, quàm nata, aut inuenta essent.

LOCVS VII.

DE PICTVRA QVA PASCIT ANIMVM Aeneas in templo Didonis.

An temerè, atque alieno tempore ficta sit.

------- *Videt Iliacas ex ordine pugnas,*
Bellaque iam fama totum vulgata per orbem.

Hic etiam aliqui volunt erratum esse, ac per summam inscitiam in eo templo picturam affictam, quam contemplaretur Aeneas; cum pingendi ars Troianorum temporibus nulla fuerit, vt docet Plin. lib. v. cap. iij. in quo de picturæ inuento sic loquitur ad extremum. Fatebiturq; quisquis diligenter eas æstimauerit, nullam artium celerius consummatam: cum Iliacis temporibus eam non fuisse appareat. Nihil

ad Virgilium oppugnandum potuit Plin. explicatius dicere. Liceret mihi quidem eodem planè modo quicquid hic obijcitur amoliri, quo superiorem quæstionem profligaui. Nam & hoc quoque alienæ peccatum est artis, hoc est historiæ, non poëticæ proprium, si peccatum tamen aliquod est; & poëtarum licentiæ dari potest hæc anticipatio temporis, quemadmodum aliæ concedendæ sunt multæ, vt alibi demonstrabimus.

Sed necesse non habemus ad hoc præsidium ire: cum exploratè didicerimus ab alijs, multo iam ante bellum Troianum artificium picturæ fuisse. Neque enim vlla est apud scriptores antiquior memoria quàm belli Thebani inter Eteoclem, & Polynicem. At illo tẽpore laudem aliquam habuisse picturam, atque in pretio fuisse, intelligere licet ex Aeschylo in Tragœdia quæ inscribitur ἑπτὰ ἐπὶ Θήβαις vbi à nuntio describitur ita Capaneus picturatum ferens in eo prælio scutum.

Ἔχει δὲ σῆμα, γυμνὸν ἄνδρα πυρφόρον.
Φλέγει δὲ λαμπὰς διὰ χειρῶν ὡπλισμένη
Χρυσοῖς δὲ φωνεῖ γράμμασι. περίσω πόλιν.

Insigne, nudum gestat in scuto virum,
Armata cui stat lampade ardenti manus,
Notisq; clamat aureis: Vrbem cremo.

In clypeo autem Eteoclis hæc ait argumenta, superioribus maximè similia, fuisse depicta.

Ἐσχημάτισται δὲ ἀσπὶς οὐ μικρὸν τρόπον.
Ἀνὴρ δὲ ὁπλίτης κλίμακος πρὸς ἀμβάσεις
Στείχει, πρὸς ἐχθρῶν πύργον ἐκπέρσαι θέλων.
Βοᾷ δὲ χοὔτος γεγραμμάτων τῶν συλλαβῶν:
Ὡς οὐδ' ἂν ἄρης σφ' ἐκβάλλοι πυργημάτων.

Formatur illi clypeus haud paruum in modum.
Armatus etenim vir stat ad scalæ gradus,
Vertere inimicorum ad solum turres volens.
Itemq; clamat litterarum syllabis.
Non ipse me de turribus Mauors ruet.

Quod si quis diuinando contendat, hæc in ijs Thebanorum ducum clypeis non expicta coloribus fuisse, sed vel cælata, vel sculpta, eum ego reuocauerim ad auctores picturæ multo sanè antiquiores, quàm Troianum Aeneam. Plinius enim idem in lib. vij. eius inuentorem artis ait fuisse Gygem Lydium: qui vixit post nobilem illam eluuionem terrarum, qua nihil est in antiquorum monumentis antiquius. Aristoteles verò excogitatam in Græcia facit à Pyrrho Dædali cognato: Theophrastus à Polygnoto Athenienſi: qui tametsi non æquat alios antiquitate, ostendit tamen incerta initia picturæ fuisse apud priscos scriptores; atque ideo licuisse Virgilio in tanta sententiarum varie-

tate

tate illam probare, quæ picturam faceret bello Troiano vetustiorem? Quid enim magis fingere poëtæ liceat, ac pro facto ponere, quàm quod vtrum factum sit, dubio scriptores inter se iudicio disputant? Sic autem illos de picturæ incunabulis, exortuque disputasse, præter eos quos ante laudaui, ostendunt etiam alij. Nam Aegyptios, vel eodem Plinio teste, ante sex annorum millia picturam apud se inuentam dicebant, quàm transisset in Græciam. E Græcis autem ipsis aliqui apud Sycionios, aliqui apud Corynthios natam putabant. omnes tamen affirmabant vnum; ex vmbra hominis initium habuisse: quã primi eius artis auctores lineis circumscribere aggressi sunt. Præstabit igitur hic adhibere tertiam decimam defensiouem expositam à nobis in Prolegomenis, quæ veniam poëtis dat, vt ex opinionibus doctorum hominum aliqua in re variantibus, sibi quamlibet sumant, seponantq; pro arbitratu.

LOCVS VIII.

DE TEMPORE QVO DIDO Carthaginem condidit, & an Aeneæ suppar ætate fuerit.

Hæc dum Dardanio Aeneæ miranda videntur,
Regina ad templum longè pulcherrima Dido
Incessit, &c.

Hic verò laborãdum diutius est. Arguitur enim, planissimèq; conuincitur poëta mendacij: cum Didonem ijs temporibus fuisse finxerit, quibus non dum natam omnes omninò prodiderunt historiæ. Aeneas quippè Didonem anteceſſit annis ipsis ccxxviij. eoque amplius, vt facilis est supputatio ex Iustino in lib. xliij. vbi scriptum reliquit, Ascanium Aeneæ filium Albam Longam condidisse, vrbemq; illam Regni fuisse caput annis ferme trecentis. excitatam postea, fundatamq; Romam à Romulo, qui ex Albanis Regibus oriundus erat. At Carthago, vt idem docet Iustinus lib. xviij. à Didone condita est annis tantum duobus, & septuaginta ante Vrbis Romæ molitionem. id quod etiam scripsit Orosius in lib. iv. cap. vj. ergo, si duos & septuaginta demas è trecentis, superant anni ducenti, octo, & viginti, quibus Aeneas Didonem anteceſſit. Eadem pene testatur Velleius Paterc. in libro primo: eoque tantummodo discrepat, quòd Carthaginem exædificatam putat annis quinque, & sexaginta ante Vrbis exordium.

Quin

Quin Dido ipsa cum fuit, & virago, & castissima fuit. Sibi enim in pectus adacto ferro, suo se iudicio præcipitem dedit in subiectum rogum, inspectante populo; ne Iarbæ Getulorum, siue Mauritaniæ Regi, contra quàm Sichæo coniugi vita iam functo pollicita fuerat, nubere cogeretur. Id enim Iarba Rex ab ea non quotidianis modo precibus, sed minis etiam intentatis exprimere conabatur: quod est apud eundem Iustin. lib. xviij. & indicatur à Tertulliano in paræneſi ad castitatem. Ait enim Didonem in alieno profugam solo, vbi Regis vltro nuptias optare debuerat, ne tamen secundas experiretur, vri maluisse, quàm nubere. Rectè itaque D. Augustinus lib. Confess. primo cap. iij. Virgilianam hanc de Didone narrationem appellat mendacium. Rectè Macrobius lib. v. cap. xvij. fabulam nominat. Qui cum dixisset, Virgilium non Homeri tantum imitatorem fuisse perdiligentem, sed etiã aliorum, hæc ad rem comprobandam adiungit. Non de vnius racemis sibi vindemiam fecit: sed bene in rem suam vertit quicquid vbicumq; inuenit imitandum, adeo, vt de Argonauticorum quarto, quorum scriptor est Apollonius, librum Aeneidos suæ quartum totum pene formauerit, ad Didonem vel Aeneam amatoriam continentiam Medeæ circa Iasonem transferendo: quod ita elegantius auctore digessit, vt fabula lasciuientis Didonis, quam falsam nouit vniuersitas, per tot tamen sæcula speciem veritatis obtineat. Tantum valuit pulcritudo narrãdi, vt omnes Phœnissæ castitatis conscij, nec ignari manum sibi iniecisse Reginam, ne pateretur damnum pudoris, conniueãt tamen fabulæ. Ita Macrobius. sed præstabit ipsam audire Didonem, apud Ausonium hanc sibi per summam iniuriam impositam calumniam expostulantem.

Illa ego sum Dido vultu, quam conspicis hospes,
Assimulata modis, pulcraq; mirificis.
Talis eram: sed non Maro quam mihi finxit erat mens,
Vita nec incestis læta cupidinibus.
Namque nec Aeneas vidit me Troius vnquam,
Nec Lybiam aduenit classibus Iliacis.
Sed furias fugiens, atque arma procacis Iarbæ.
Seruaui fateor morte pudicitiam,
Pectore transfixo, castos quòd pertulit enses
Non furor, aut læso crudus amore dolor.
Sic cecidisse iuuat. vixi sine vulnere famæ,
Vlta virum, positis mœnibus oppetij.
Inuida cur in me stimulasti Musa Maronem,
Fingeret vt nostræ damna pudicitiæ?
Vos magis historicis lectores credite de me,
Quàm qui furta Deùm concubitusq; canunt.

Falsi-

Falsidici vates, temerant qui carmine verum.
Humanisq; Deos assimilant vitijs.

Aliud est etiam Epigramma Marulli in eodem planè argumento, atq; sententia, quod quia concinit, ac respondet Ausonio prætereundum non est.

Non mihi Phryx nocuit: nec enim Phryga nouimus vllum;
Cura sed antiqui casta, tenaxque thori.
Quam ne coniugio Lybici violare Tyranni
Cogerer, hac cecidi fortiter vsa manu.
At vos ò Vates, si sunt hæc præmia laudi,
Quæ feret incesti fœmina adulterij?

Constat igitur omnium testimonio scriptorum mentitum esse Virgilium, tum in componendis temporibus tam inter se varijs, atque distractis, tum in exprimenda Didone contra quàm postulabat eius castitas, & pudicitia. Causam perquirere necesse est, cur id sibi fas esse putarit doctissimus vir. neque enim existimandum est, ea Virgilium ignorasse, quæ isti tàm explicatè ab historicis prodita fuisse commemorant.

Non possum de quæstione statuere, nisi quandam prius exponam licentiam poëtarum, quæ dicitur anachronismus, versaturq; in ratione temporum inuertenda pro arbitratu. Quippè videmus sæpissime nouum tempus ad antiquum transferri, aut antiquum ad nouum; quæque prisco facta fuut æuo perindè commemorari, ac si multo post, aut nuper eueniſsent: contràque quod nouissimè gestum est, iam olim, & temporibus antiquissimis factum esse confingi. Catullus è Latinis primus huius anachronismi sit testis; qui in Epithalamio de nuptijs Pelei & Thetidis ausus est canere, tum Peleum amore captum Thetidis fuisse, cum in Argonautarum expeditione Colchidem adijt ad vellus illud aureum auertendum.

Tum Thetidis Peleus incensus fertur amore:
Tum Thetis humanos non despexit hymenæos,
Tum Thetidi pater ipse iugandum Pelea sanxit.

Et tamen Orpheus, Apollonius, alijq; prorsus omnes testantur, antequam Argonautę illud iter haberent in mari, iam natum Achillem ex Thetide, Peleoque fuisse.

Eadem vsus anachronismi licentia Propertius est in lib. iij. eleg. xij. cæstum, pancratiumq; Spartanorum ludis eo affingens tempore, quo Lycurgi legibus è gymnasio depulsa iam erant.

Multa tuæ Sparte miramur iura palæstræ,
Sed mage virginei tot bona gymnasij.
Quòd non infames exercet corpore ludos
Inter luctantes nuda puella viros.

Cum

Cum pila veloces fallit per brachia iactus
Increpat, & versi clauis aduncа trochi.
Puluerulentaq; ad extremas stat femina metas,
Et patitur duro vulnera pancratio.
Nunc ligat ad cæstum gaudentia brachia loris,
Missile nunc disci pondus in orbe rotat.

Videtur his versibus haud dubiè significare, sua memoria, ac ætate cæstum, & pancratium Spartanorum fuisse gymnicos ludos, & tamen optimè norat, opinor, apud Spartanos Lycurgi decreto eas fuisse Gymnasij vetitas exercitationes, in quibus, vt ait Plutar. χεὶρ ἀναπίνεται manus attollitur. At inter ludos, in quibus attolli manum prorsus oportet, pancratium sine dubio fuit maximè, pugilatus, ac cæstus. Quin Seneca ipse planè, distinctèq; docet in libris de benef. pancratium apud Lacedæmonios non fuisse. Lacedæmonij, inquit, vetant suos pancratio, aut cæstu certare: vbi inferiorem ostendit victi confessio. Sciebat, inquam, Propertius hæc: per eam tamen licentiam, de qua dico, illa etiam facta esse post Lycurgi leges commentus est, quæ illius instituto à Spartanorum exercitationibus, ac ludis fuerant iam olim sublata. Ante Lycurgum quippè Lacedæmonijs in vsu fuisse cæstum, ac pugilatum docet nos Lacedæmonius Pollux Castoris frater, vtraque olim exercitatione gymnica nobilitatus.

Ouidius etiam nonnullis in locis temporum seriem, rationemque præuertit ex ea licentia, quàm poëtis videbat esse solemnem. nam in postremo Metamorphos. comminiscitur, Numam Pompilium Pythagoræ fuisse discipulum. At hoc falsò traditum esse Liuius docet in decad. prima, & intelligi facilè potest ex eo, quòd Numam decessisse sciamus Olympiade xx. Pythagoram sexagesima floruisse. Et tamen vtrumq; eodem planè tempore vixisse canit, vt dicebam, Ouidius in lib. Metamorphoseon extremo, iterumq; in tertio de Ponto, & Fastorum item tertio.

Omnes verò aliorum in hoc genere licentias vincit Alexis poëta Comicus apud Athenæum in fabula, quam inscripsit Linum. Inducit enim Linum Herculi, quem erudiebat doctrina, præcipientem, vt è multis, qui aderant libris, vnum caperet, ac seponeret, qui sibi fortè fortuna veniret ad manus. Quos quidem libros enumerans Linus, ait in ijs esse Orpheum, Hesiodum, Cherilum, Homerum, Epicharmum. At hi poëtæ non dum nati erant, fueruntq; Lino, & Hercule longè posteriores ætate. Huic similis est licentia in illo intemperijs agitato, correptoq; furijs Hercule apud Euripidem. parat enim se ad ludos committendos Isthmios: qui sunt instituti à Theseo post obitum Herculis, vt docent Pausan. Plutarch. & Pindari, Apollonijq. Scholiastes. Similis est in eiusdem Euripidis Cyclope: vbi Sicilia Græciæ pars esse di-

se dicitur, in quam tamen non dum erant inductæ Græcorum illæ Coloniæ, quæ postea Græciæ nomen Insulæ illi fecerunt. Eò quippè migrare sunt iussæ post imperium Lestrigonum, atque Cyclopum. Quid multa? Virgilius ipse in Aeneidos lib. vij. ponit à Latino Rege vsurpatum fuisse morem aperiendi Iani.

Mos erat Hesperio in Latio, quem protinus vrbes
Albanæ coluere sacrum, nunc maxima rerum
Roma colit, cum prima mouent in prælia Martem:
Siue Getis inferre manu lacrymabile bellum,
Hyrcanisue, Arabisue parant: seu tendere ad Indos,
Auroramq; sequi, &c.
Hoc tunc Aeneidis indicere bella Latinus
More iubebatur, tristesq; recludere portas.

Hunc inquam morem iam inde à Rege Latino repetit: cum tamen historicorum omnium, ipsiusq. Seruij testimonio nobis exploratissimum sit, eius instituti, religionisq. primum auctorem fuisse Numam Pompilium, illum secundum Regem Romanorum. Huic alius est persimilis apud Virgilium locus in octauo: vbi laudes canuntur Herculis.

Nec te vllæ facies, non terruit ipse Typhœus
Arduus arma tenens.

Quo loco Seruius ostendit, aliud tempus fuisse pro alio positum. Confirmat enim poëta, in illo Gigantum prælio nobili Herculem stetisse pro Ioue, nec Typhœo cessisse mõstroso Gigantum Principi, quod falsum erat. Cum enim Hercules vicisset Centauros, vt dictum ante fuerat ab eodem Virgilio:

----- Tu nubigenas inuicte bimembres
Hyleumq. Pholumq. manu, tu Cressia mactas
Prodigia, &c.

sequebatur, non potuisse eundem Herculem Gigantum interesse prælio, qui multis sanè sæculis erant iam Centauros antegressi. Sed quid ego poëtas dico? Plato ipse hac est abusus anachronismi licentia in Dialogis, qui poëmatis similes sunt. Eas enim personas colloquentes habet, quæ, si tempora compares, inter se colloqui non potuerũt; cum æquales ætate non fuerint. Multa præterea dicit, quæ ab ipsa tẽporum ratione sunt aliena: quale illud est in Gorgia de Archelao, quem Macedoniæ Regem tum esse tradit, cum dialogos scribit; nec dubitat paulò post affirmare, Periclem è viuis nuperrimè decessisse. Pericles autem, vt Athenæus ostendit, locum hunc Platonis exagitãs, multo ante quàm imperaret Archelaus, esse desierat inter viuos.

Haud scio, an ad hunc anachronismum, atque ad hunc vsum temporis immutandi, reuocari debeat quod à Callimacho factum est: reuocandum certè contendit Iacobus Mazonius vir doctus, in Apologia

gia Dantis Aligherij. Cum enim Callimachus in antiquorum legisset historijs,eam annonæ caritatem, quæ,vt ex sacrarum monumẽtis litterarum didicimus,ipsum tenuit in Aegypto integrum, solidumque septennium, amplificauit illud tempus,atque ad nouem extraxit annos, addiditq;, Nilum interea toto nouennio numquam exundasse,id quod etiam est apud Ouid.in lib.j.de Arte.

Dicitur Aegyptus caruisse iuuantibus arua
Imbribus,atque annis sicca fuisse nouem.

Scitum quippè illud est de Aegypto; imminere tàm vberi prouinciæ rerum penuriam,cum parcè,malignèq; circumiectos campos inundat Nilus.ita prorsus,vt scriptum reliquerit Strabo, incolas ex incremẽto Nili haud dubiè anni fertilitatem, sterilitatemq; præsentiscere. cuius rationem, ac modum præsensionis planissimè nobis ostenditur his verbis à Plinio. Iustum incrementum cubitorum est sexdecim, minores aquæ non omnia rigant, ampliores desinunt tardius recedendo. hæc enim serendi tempora absumunt,solo madente, illæ non dant sitiente. In duodecim cubitis famem sentit: in tredecim etiam non esurit: quatuordecim cubiti hilaritatem afferunt: quindecim securitatem: sexdecim delicias.

Ex ijs quæ hucusque de temporis à poëtis vsurpata peruersione disputauimus, decernendum est, non debere Virgilium reprehendi, quòd Didonem illo tempore fuisse dicat, quo tempore nondum erat: cum eo sit vsus comminiscendi iure, quod communis illi,vulgarisque poëtarum licentia concedebat.

Sed quærere tamen præterea libet, cur ea poëtis permissa libertas in tempora sit, vt omnia ijs in eo genere confundere liceat. Ita namque profligabitur omninò quæstio,si hæc etiam causa proferatur in lucẽ. Eam ego repeto à re credibili,ac verosimili, quæ proposita poëtis ad imitandum est. neque enim verosimile, quod poëti tractatur,id esse necessariò debet,quod omnibus probabile sit: sed satis est,si fidem habeat apud multitudinẽ,ac vulgus. Huiusmodi verò multæ res sunt, quæ abhorrent quidem ab historijs,ac veritate, sed tamen earum falsitas cum poëtico verosimili non pugnat: quia non abrogat omnem fidem. Illud enim adimit omnem omninò fidem, quod ne populo quidem,ac multitudini credibile est. Quo fit vt quæ rerum, aut narrationum falsitas vulgo, ac popularibus cognita non est, à verosimili poëtarum aliena non sit: cuiusmodi video chronologiam esse; quæ vt probè teneatur à doctis,ac sapientibus viris,à multitudine tamen imperitorum ignoratur. Id etiã ab Aristotele didici.qui in eo cap. xxiij. non obscurè pronunciat, non semper poëtas sequi quod omnibus est credibile, sed sæpè id eligere, quòd aliquibus tantum, aut etiam vni probatur.Igitur Aeneæ cum Didone congressus, si spectes historiam,

& chro-

& chronologiam, nullam meretur omnino fidem, si spectes poëticum verosimile, hoc est id, quod probari potest à populo, meretur aliquam. Non enim popularis multitudo nouit tàm multos inter vtrumque annos, & sæcula lapsa iam esse. Atque hoc eo fidentius à poëta potuit ita peruerti, ac fingi, quòd ne certum quidem, ac exploratum omninò apud historicos tempus sit excitatæ Carthaginis. Etenim Iustinus conditam facit anno secundo, & septuagesimo, Eusebius tertio, & quadragesimo supra centesimum, antequam Roma poneretur a Romulo. Appianus Alexandrinus anno quinquagesimo fundatam vult ante Troianum excidium: sed tamen alios eius vrbis auctores credit, non Sydone, ac Tyro profectam Didonem.

Quod pro Virgilio sic dicitur, alijs etiam opitulatur poëtis: qui tametsi planissimè norant, eruditis, & prudentibus viris credibile non esse quod tam longè abesset à vero, sciebant tamen idem esse probabile vulgo: quod poëticæ satis est. Quotus enim quisque sit è populo, qui sciat, Achillem multò ante natum fuisse, quàm Argonautæ proficiscerentur in Colchidem? aut Lacedæmonios vetuisse suos pancratio, & cæstu decertare; aut Pythagoram multò post vixisse, quàm Numa Romæ regnaret; aut Herculem, & Linum, Homero, Hesiodo, alijs esse ætate longè antiquiores, aut Isthmicos ludos institutos fuisse defuncto iam Hercule, aut morem aperiendi Iani à Numa, non à Rege Latino traditum esse. Ergo fas est poëtis immutare, ac peruertere rationem temporum: quia de rei veritate plerumq; popularibus, ac vulgo non liquet, quibus omninò seruiat poëta necesse est, vt copiosius alibi explicabimus.

LOCVS IX.

AN AENEAS MERITO, ac iure dicatur à Virgilio Pius.

Rex erat Aeneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis.

Hi versus cum eo, qui hos antecessit. [Sum pius Aeneas, &c]. faciũt, vt hoc loco quærere debeamus, an illud epitheton, & cognomentum Pij fuerit Aeneæ meritò tributum, & congruenter. Causam cur ea de re dubitandum, & quærendum sit, à multiplici pietatis notione repetendam puto. Est enim ambiguum nomen, ac multiplex, hoc est tàm multa variaque significans, vt nisi ea distinguamus initio, tota disputationis ratio perplexa futura sit, atque difficilis.

Prin-

Principio igitur verè, proprièq; pietas ea virtus est, quæ cultum tribuit ijs, quorum beneficio secundum Deum sumus, regimur, alimur, & conseruamur. Qua ex notione, ac definitione pietatis sequitur illud, vt pietatis officium sit propriè erga parentes, qui nos ediderunt in lucem, erga propinquos, erga patriam, erga ciues, à quorum singulis aliquid in illo genere beneficij hausimus. Vidit hæc, docuitq. in lib.ij.de Inuen. M.Tullius: cuius est ea Pietatis definitio ab Augustino viro sanctissimo probata, planeq. descripta. Pietas est, per quam sanguine iunctis, patriæque beneuolis officium, & diligens cultus tribuitur. Hanc pietatis veram, incorruptamq. notionem secutus Valerius est in lib.v. cum illorum exemplis, qui parentum, & patriæ fuerunt obseruantissimi, titulum, atque indicem fecit. de pietate erga Patriam, erga parentes, &c. prudenterq. in fine cap.iv. narrationem hoc epiphonemate concluſit. Ceteræ virtutes admirationis tantummodo multum; pietas verò etiam amoris plurimum meretur. Significat enim, hanc vnam ex omnibus virtutem suum ijs officium præstare, quos nobis ipsa natura summo vitæ beneficio copulauit. In hanc eandem sententiam idem vsurpauit pietatis nomen Cicero, sed metaphoricè, cum suam in Lentulum beneuolentiam appellauit pietatem. videbat enim suo se muneri satisfacere non posse, nisi parentem salutis suæ non beneuolentia tantum, qua colimus amicos, sed etiam eo, quo vitæ nostræ obseruamus auctores, pietatis officio prosequeretur. Periucundæ mihi fuerunt, inquit, litteræ tuæ, quibus intellexi, te perspicere meam in te pietatem: quid enim dicam beneuolentiam, cum illud ipsum grauissimum, & sanctissimum nomen pietatis leuius mihi meritis erga me tuis esse videatur? Ab hac propria, germanaq. ratione aliæ fluxerunt minus propriè, quas tamen vsus, & consuetudo probauit.

Nam primo quidem pietas sæpissimè apud Latinos est ille cultus, quo vitæ nostræ principem, auctoremq. primum veneramur Deum. Religio quidem magis propriè dicitur hæc virtus, quæ Deum obseruat, sed eo differt tamen à pietate, quòd religio Dei præpotentis excellentiam intuetur, pietas procreationis beneficium, vitæq; fontem primarium in eodem Numine veneratur, & colit. Si enim parentes nostræ dicimus auctores vitæ, illoque eos nomine colimus, quanto est æquius eiusdē vitæ fontem appellare Deum, eumque propterea omni planè significatione pietatis obseruare? Sed tamen hæc vtriusq. virtutis erga Deum officia confunduntur vno pietatis nomine, quo sæpenumero scriptores eam, quæ propriè dici deberet religio, exprimere, ac significare non dubitant. Quare Augustinus integerrimus, idemq; doctrina vir excultissimus in lib.x.de Ciuit.cap.1. docuit, intelligere nos solere Dei cultum, cum pietatem nominamus, hoc est eam animi virtu-

virtutem, quam Græci dicunt εὐσέβειαν; Latini religionem appellant. Cicero ipse pro religione distinctè, disertèq; pietatem posuit in orat. pro domo sua. [Nec vlla erga Deos pietas nisi honesta de eorum numine opinio est.] Honesta enim de Deo sententia ea propriè, restrictèq. virtus est, quæ Dei veneratur excellentiam, atque in omnes omninò virtutes imperium habet, ac dominatum. Clarius in oratione pro Plancio. [Fundamentum virtutum omnium pietas est.] fundamentum quippe virtutum omnium est ea, quæ propriè religio dicitur, & rectus sensus de Deo.

Secundo loco magis impropriè pietas omnem omninò virtutem significat, in primisq. Iustitiam: quo factum est, vt virtute præstantes, probiq. viri dicantur pij; sceleſti, improbiq. nominentur impij.

Impius hæc tàm culta noualia miles habebit?

flagitiosus nimirum, atque iniustus. Id autem propterea sic est vsu sermonis, & loquendi consuetudine iam receptum, quòd qui virtuti, iustitiæque potissimùm vitam consentaneam degunt, illi Deum præcipuè videantur, & singulariter colere; in cuius gratiam eam viuendi rationem instituerunt. Cultus autem Dei pietas sæpè dicitur, vt declaratum est satis.

Tertia pietatis notio omnium maximè impropria est; quia misericordiam, clementiamq; significat: quarum officia virtutum longissimè distant à vera notione pietatis. Sic tamen obtinuit vsus, vt quos misericordes, & clementes dicere volumus, eosdem pios nominemus: quod pulcherrimè scribit Augustinus loco laudato, vbi causam etiam impropriæ huius appellationis exponit. More vulgi, inquit, nomen pietatis etiam in operibus misericordiæ frequentatur: quod ideo arbitror euenisse, quia hæc fieri præcipuè mandat Deus, eaque sibi præ sacrificijs placere testatur. Ex qua consuetudine factum est, vt Deus ipse, qui clementissimus est, pius diceretur.

Quibus ita positis, aiunt aliqui, vel falsò, vel minus congruenter à Virgilio dici piũ Aeneam. Quantum enim attinet ad propriam illam notionem pietatis, quæ officiũ patriæ tribuit, & cultum ciuibus, Aeneas minimè debuit effingi pius: cũ Troiam vnà cum Antenore prodiderit Græcis, vrbisq. portas hostibus aperuerit, vt rem litteris consignarunt historici, potissimumq; Dares Phrygius, qui bello Troiano, vt Isidorus ait, interfuit. Sic enim eam proditionem testatam reliquit in postrema eius libelli parte, quem de Troiano inscripsit excidio. Postquã pacta data sunt, Polydamas (qui ad proditionem transigendam in Græcorum castra secesserat) in vrbem redit; rem peractam denũciat. Dicit Antenori, & Aeneæ, ceterisq., quibus placitum erat, vt suos omnes adducant, & noctu Scæam portam aperiant, lumen ostẽdant, exercitum inducant. Antenor, & Aeneas noctu ad portam præstò fuere.

Neoptolemum exceperunt, exercitui portam reserarunt; lumen ostenderunt, fugam præsidio sibi, suisque prouiderunt. Quæ si vere dicuntur (dicuntur autem vere, quia dicuntur historicè) non licuit Virgilio Aeneam facere tàm pium in suos, quem historici affirmant in patriam fuisse tam impium.

Sed esto. licuerit id comminisci ex poëtarum fortasse licentia, debuit tamen Aeneas etiam ea instrui pietate, quæ probitas, innocẽtia, iustitia est. qua qui non est præditus, pius profectò dici non potest. At Aeneas stupro Didonem polluit, pollutam prodit, ac deserit, inuadit aliena regna, vastat Italiam. Quid verò de misericordia, & clementia dicatur, quæ postrema notio pietatis est? Ille ne pius, qui multis supplicibus, ac pœnam deprecantibus eripuerit per summam immanitatem vitam, quique Turno ipsi manus iam danti, concedentique publica professione victoriam non erubuerit gladio mortem afferre? Restat igitur, vt propterea tantummodo dici pius queat, quòd Deos impensè coleret, & Penates illos, parentem, filium flammis ereptos auexerit secum in Italiam. At ne hoc quidem credibile est eum fecisse, qui neque in patriam pius, neque in societatem humanam iustus, neque in supplices clemens, ac misericors sit. Quod tamen si fecit, haud propterea Pij cognomentum promeretur: cum aliæ quoque virtutes, quibus patriæ, quibus deprecatoribus, quibus humano generi præstatur officium, in eo Principe debeant apparere, qui verè Pius appellatione solemni dicendus sit. Quare Imperatores illi, quibus hoc est à rectè factis impositum nomen, non à religione modo, sed à misecordia, à clementia, à iustitia, ab officio in patriam, à probitate, ceteriſq. virtutibus honorificum illum titulũ sibi pepererunt. libet hoc ipsis propemodum oculis in Antonino perspicere, qui primus appellatus est Pius. Eius enim cognomenti causas innumerabiles, ac varias à multiplici petitas virtute ita commemorat, exponitq. Iulius Capitolinus in vita. Fuit, inquit, vir forma conspicuus, moribus clemens, placidus ingenio, mitis; præcipue sobrius, diligens agri cultor, alieni abstinens, in cunctis postremò laudabilis, & qui meritò Numæ Pompilio ex bonorum sententia comparatur. Pius cognominatus est à Senatu, vel quod socerum fessa iam ætate, manu, præsente Senatu, leuauerit (quòd quidem non satis magnæ pietatis est argumentum, cum impius magis sit qui ista non faciat, quàm pius qui debitum reddat,) vel quòd eos, quos Hadrianus per malam valetudinem occidi iusserat, reseruauit; vel quòd Hadriano contra omnium studia post mortem infinitos, atque immensos honores decreuerit: vel quòd cum se Hadrianus interimere vellet, ingenti custodia, & diligentia fecit, ne id posset admittere: vel quòd verè natura clementissimus, & nihil temporibus suis asperum fecerit. Multæ, quòd vides, hic enumeran-

tur

tur animi dotes, ac virtutes, quæ Pij cognomentum Antonino dederunt: sed præcipua clementia est. à qua potissimum appellatum esse Pium ostendit etiam M. Aurelius in epistola ad Faustinam filiam. Clementia, inquit, patrem tuum in primis Pij nomine ornauit. Assumpserunt hoc sibi postea Pij cognomentum alij, qui consecuti sunt, Imperatores. Nam quemadmodum Pater patriæ dictus, & consalutatus à Senatu primus est Cicero, ac post eum alij, seu per assentationem, seu propter merita idem adepti sunt nomen, sic post Antoninum alij quoque, vel assentatoriè, vel verè dici cœperunt Pij. Eiusmodi Septimius fuit: in cuius arcu triumphali ad Forum Boarium sub Capitolio legimus. *Imp. Cæs. L. Septimio M. Fil. Seuero, Pio, Pertinaci, Patri Patriæ.* Et in Pantheo. *L. Septimius Seuerus, Pius, Pertinax, & Imp. Cæsar. M. Aurelius Antoninus, Felix. Aug. Pantheon vetustate corruptum omni cultu restituerunt.* Iustinianus hanc item appellationem est cõsecutus, vt ipse demonstrat Institutionum initio. *Imp. Cæsar. Flau. Iustinianus, Alemanicus, Gothicus, Francicus, Germanicus, Anticus, Alanicus, Vandalicus, Africanus, Pius.* Cui altera respondet inscriptio in ponte Salario. *Imperante Domino nostro Pijssimo, ac Triumphali semper Iustiniano Pijssimo Augusto, &c.* Eodem insignitus est titulo Valentinianus; cuius hodieq. hic visitur index in ponte Insulæ Tyberinę, qui dictus est Cestius. *F. Valentinianus, Pius, Felix, Maximus, Victor, &c.* Quin Augustæ ipsæ Imperatorum coniuges aggressæ postremò sunt eius sibi gloriam nominis vsurpare. Nam in quibusdam numismatis ita scriptum inuenimus. *Diua Faustina, Pia, sideribus recepta.* Sed hi, alijque prope innumerabiles Imperatores illo cognomento Pij, quod putarunt sine dubio glorioſissimum, non vnam voluerunt exprimere religionem, sed clementiam, probitatem, iustitiam, virtutes ceteras, vt docuit in Antonino Iulius Capitolinus; ijque demonstrant tituli, qui subiunguntur: Patri patriæ, &c. Immo verò disertè articulatimq. hoc dicere, ac docere nos voluisse videntur ij, qui Galieno posuerunt arcum illum adhuc extantem in Vrbe ad D. Viti. *Galieno clementissimo Principi. cuius inuicta virtus sola pietate superata est.* Quid enim hic est pietas, nisi ea virtus, quæ clementissimi nomen Galieno Principi iure, ac meritò impertita est? Multo planius id nobis ostendit ille, qui præcepta ciuilia tradit Honorio apud Claudianum, in panegyr. iv.

Sis pius in primis. nam cum vincamur in omni
Munere, sola Deos æquat clementia nobis.

Hęc autem cum sic agerent, ac dicerent summi viri, quid significabant aliud, nisi Imperatores, ac Principes dici pios iure non posse, nisi religioni clementiam, aliasq. virtutes adiungerent, quarum ipsa religio, vt Cicero dixit, est parens, ac fundamentum? Ex quo prorsus effici-

tur, Aeneam quantumuis religiosum, haud fuisse prudenter, appositèque dictum à Virgilio pium : quia pietatis non omnes omnino numeros, ac partes expleuit: quæ clementia, misericordia, iustitia, multiplici demum cunctarum prope virtutum genere continentur . hæc isti dicunt, qui Virgilium in ea pietate , quam Aeneæ tribuit, peccasse cõtendunt. Nos qui cœpimus hominis causam tueri, quantum ab ingenio fas est, eorum obiecta diluamus .

Confirmo itaque primùm: licuisse Virgilio pium Aeneam facere, quem historici fuisse dicunt in ciues , ac patriam impium : quia rei veritas obscurissima erat, nec ab alio tradita, quàm à Darete . Huius autem monumenta scriptoris, non erant in populi manibus. Quo fiebat, vt esset credibile multitudini, quod paucissimis erat incredibile. Id verò esse illud verosimile, quod poëticæ propositum est, in proximè superiore disputatione demonstrauimus ; cum de Didone diximus , Aeneaq. in idem planè tempus à Virgilio compulsis : qui verè tamen varia, diuersaq. vixerunt ætate . Neque enim illud est alienum à poëtico verosimili, quod aliqui sciunt esse falsum, sed quod omnes, hoc est ipsi etiam populares, abhorrere intelligunt à veritate. Reprehendẽdus quidem Virgilius esset, si quem ipse tàm pium facit , eundem faceret aperientem portas, prodentemq; hostibus ciuitatem. Sed quia locum istum declinat, Aeneamq. ex ea , quam habet in rebus obscuris comminiscendi licentia, ita format , ac fingit , vt pro patriæ salute in vitæ se discrimen obijcientem, patrem, filium, Deos, Penates è flammis eripientem faciat, omni reprehensione carere debet , nec potest à Censoribus, nisi per iniuriam accusari .

Quod verò de probitate, deque iustitia dicitur , qua præditos esse oporteat eos , qui perfectè, absolutèque dicendi sunt Pij; pronunciare non dubitauerim , Aeneam innocentissimum , ac iustissimum esse . Quantum enim attinet ad compressam Didonem , facilè se purget , cum ab ipsa potius in eam amoris fraudem perductus sit, quàm eandẽ ipse pellexerit . Neque enim apud veteres illos homines flagitiosa in eo genere putabantur esse, quę vi carerent, & iniuria. At violatam iam deserere non debuit. Iubebat hoc Iuppiter, qui subinde Mercurium allegabat Carthaginem, vt inde remorantem Aeneam , Didone reclamante, depelleret. De occupata verò Italia non est adeo laborandum . Illud enim ius , eamque possessionem acceperat ab oraculis , atque à Ioue , quem non Italiæ modò , sed orbis etiam terrarum dominum putabant antiqui.

Tertius locus, qui de clementia est , & misericordia, salebras videtur habere maiores : sed tamen clementissimus est habendus , & dicendus Aeneas etiam tum, cum ab istis accusatur inclementiæ, & crudelitatis . Videntur illis impia, quæ commemorantur in lib. x. de

Aenea

Aenea viuos reseruante captiuos octo, quos immolaret ad bustum Pallantis.

---------- Sulmone creatos.
Quattuor hinc iuuenes, totidem quos educat Vfens
Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris,
Captiuoq. rogi perfundat sanguine flammas.

Et quæ dicuntur in vndecimo de eodem Aenea, funebrem Pallanti pompam adornante. has enim ipsas hostias cum ceteris ferculis, doniſq. supremis ad tumulum duci iubet.

Multaq. præterea Laurentis præmia pugnæ
Aggerat, & longo prædam iubet ordine duci.
Addit equos, & tela, quibus spoliauerat hostem,
Vinxerat, & post terga manus, quos mitteret vmbris
Inferias cæso sparsurus sanguine flammas.

Hæc inquam ijs argumenta videntur esse summæ crudelitatis, & ea, quæ iure Lactantium in se declamatorem prouocarint. Apud Maronem, inquit, libro v. cap. x. Rex ille,

---------- Quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior & armis,

quæ nobis documenta iustitiæ protulit?

Vinxerat & post terga manus, quos mitteret vmbris
Inferias cæso sparsurus sanguine flammas.

Quid potest esse hac pietate clementius, quàm mortuis humanas victimas immolare, & ignem cruore hominum tamquam oleo pascere? Sed fortasse non hoc ipsius vitium fuit, sed poëtæ, qui illum insignem pietate virum insigni scelere fœdauerit. Vbi est igitur ò poëta pietas illa, quam sæpissimè laudas? Ecce pius Aeneas.

---------- Sulmone creatos
Quattuor hinc iuuenes, totidem quos educat Vfens
Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris,
Captiuoq. rogi perfundat sanguine flammas.

Cur ergo dicebat hoc ipso tempore, quo vinctos homines ad immolandum mittebat [equidē & viuis cōcedere vellem] cum quos viuos habebat in potestate, vice pecudum iuberet occidi? Sed hæc, vt dixi, culpa non illius fuit, qui litteras fortasse non didicerat, sed tua: qui cum esses eruditus, ignorasti tamen quid esset pietas, & illud ipsum quod nefariè, quod detestabiliter fecit, pietatis esse officium credidisti. Ita declamat Firmianus. qui profectò luderet extra chorum, nisi verbis vltimis imprudens; ac nolens Virgilio patrocinium addidisset: cum ad extremum concluſit, eum ignorasse quid esset vera pietas, & religio. Verè enim ignorauit, qui pro religione superstitionem coluit ea tempestate vulgarem. Sed aliud est antiquorum accusare su-

perſtitionem, aliud Virgilium arguere, quòd congruentia illorum tẽporum pietati non finxerit: quod omnino faciendum fuit, ſi poëta cum conſilio, ac ratione reprehendendus erat. Ita quippe minus congruentia diceret, ſi vera religione fuiſſet imbutus. ſed quia ſuperſtitionem execrabilem veram putauit religionem, illi ſuperſtitioni maximè congruentia finxit, & Æneam maxime pium, ac miſericordem fecit in Pallantem, qui videtur in ſpeciem aduerſus illos captiuos, ac ſupplices crudeliſsimus. Sic enim ipſi animum inducebant ſuum, mortuorum hominum, vitaq. iam defunctorum animas delectari hoſtiarum ſanguine, ac potiſſimum humanarum. Quare vt ijs requietem impertirent, ac pacem, rogos, buſta, tumulos, ac ſepulcra perfundebant humano ſanguine, præcipuè verò captiuorum in prælio, qui quidem vſus inductus, & ſublatus eſt, ſubſtitutis in captiuorum locum gladiatoribus buſtuarijs, vt Seruius tradit. Itaque ſi noſtram, hoc eſt veriſſimam, incorruptamq. ſpectemus religionem, impius eſt Aeneas: ſin antiquam illam, quam ipſe colebat impendiò, maximè dicendus eſt pius: immò verò etiam clementiſſimus eſt habendus. Nulla enim poterat eſſe maior, nulla iuſtior clementia, & miſericordia, quàm quæ Pallantis oblectare ſtuderet animam inimicorum ſanguine. Sed tamen vnum eſt, quod non ita facilè vindicare poſſimus in lib. x. de Mago illo: qui genua complexus Æneæ, vitam ſuppliciter expoſcit cum obſecratione miſerabili: & tamen ab Ænea tam pio, non modo non auditur, ſed irridetur, depellitur à genibus, occiditur. Nam quæ ſuperſtitio ad eam illum crudelitatem adegit?

Inde Mago procul infenſam cum tenderet haſtam,
Ille aſtu ſubit, ac tremebunda ſuperuolat haſta:
Et genua amplectens effatur talia ſupplex.

Hunc, inquam, ſupplicem, obſecrantem per manes Anchiſæ, Iuliq. vitam, ad ea genua tamquam ad aram miſericordiæ confugientem obſtinatè repudiat Aeneas, &

Sic fatus, galeam læua tenet, atque reflexa
Ceruice orantis capulo tenus abdidit enſem.

Quid ille Lucagus, & Lucagi frater in eodem lib. decimo? non illi quidem immolantur ad buſtum, ſed cum irriſione quadam amariſſima contrucidantur in acie. Pius enim Aeneas ita eos

---------- dictis affatur amaris.
Lucage nulla tuos currus fuga ſegnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertere ex hoſtibus vmbræ.
Ipſe rotis ſaliens iuga deſeris. Hæc ita fatus,
Arripuit biiugos. frater tendebat inermes
Infelix palmas curru delapſus eodem.
Per te, per qui te talem genuere parentes

Vir

Vir Troiane sine hanc animam, & miserere precantis.
Pluribus oranti Aeneas. haud talia dudum
Dicta dabas: morere, & fratrem ne desere frater.
Tum latebras animæ pectus mucrone recludit.

Sed tamen is etiam eodem præsidio dissoluitur nodus. Quamquam enim hos non immolat Aeneas, neque tanquam hostias admouet ad tumulum, ipsis tamen interficiendis illud agit, vt Pallanti ab hostibus occiso gratificetur, quod existimat esse misericordiæ, summæq. in amicum extinctum pietatis officium. quippe hoc etiam crediderunt antiqui, defunctorum manes non modo sanguine illo delectari, quo perfundebatur rogus, ac tumulus, sed etiam reposcere vehementissime vltionem, ac pœnas ab ijs, à quibus essent occisi. sic, inquam, vt errabundæ, miserrimæq. putarentur animæ, quæ iacerent inultæ, quarumue mortem, aut iniurias nemo apud viuos vlciscereturr. Hac nimirum imbutus opinione Lucanus, animam Crassi à Parthis interempti errare cecinit inultam, quia non dum in eam prouinciam Romanus exercitus ductus erat ad repetendas à Barbaris pœnas. hac institutus Ouid. Althæam inducit, occisis à Meleagro filijs eiusdē Meleagri morte postrema solatia dantem. hac ante omnes inducti Græcorum Tragici Polyxenæ morte placarunt Achillis interfecti manes. hac demum Dido iam olim erudita, imminente obitu summam suæ calamitatis eam esse putabat, quòd moreretur inulta. Quin Opis apud Virgilium ipsum libro vndecimo, Aruntem occisura, animam Camillæ demortuæ sic consolatur.

Non tamen indecorem tua te fortuna relinquet
Extrema iam morte, neque hoc sine nomine lethum
Per gentes erit, aut famam patieris inultæ.
Nam quicumq; tuum violauit vulnere corpus
Morte luet merita.

Cum igitur Æneas in eo totus esset, vt Pallantis placaret manes, vel sacrificio funebri, vel vltione, captiuos illos reseruauit inferijs, obuios hosce cōfixit gladio, vtroq. prorsus officio Pallanti gratificaturus, sacrificium, & vindictam exposcenti. Atq. id de Turno etiam ipso dicēdum, & constituendū erit: cui sine dubio dedisset veniam, nisi Pallantis animā, cuius repente baltheus apparuit, illo sanguine placare voluisset. Quod profecto singularis indiciū est misericordiæ: cū debuerit vir humanissimus moueri potius calamitate Pallātis, qui errabat inultus apud inferos, ac de vindicta sollicitus, quàm precibus, aut Magi, aut Lucagi, aut etiā Turni supplicantis inflecti. eorum quippè sanguine, ac cæde requies Pallanti parabatur, vt diximus. Quin à Turno reposcebat pœnas illas Euander hospes, de quo in eo prælio maximè cogitabat Aeneas, cū interfecto Pallante tā multos occideret: vt dicitur in lib. x.

Proxima quæq. metit gladio, latumque per agmen
Ardens limitem agit ferro. Te Turne superbum
Cæde noua quærens. Pallas, Euander, in ipsis
Omnia sunt oculis: mensæ quas aduena primùm
Tunc adijt, dextræq. datæ.

Hoc igitur agebat suo quidem iudicio, & voluntate, vt Euandri dolorem consolaretur; sed nimium quantum ad idem est officium incitatus ipsius Euandri postulatis: qui recepto Pallantis corpore, hoc diserte nuncijs dedit in mandatis, vt ad Aeneam in regressu deferrent: mortem se Turni peroptare vehementer, quæ Pallantis animam, manesq. demulceret.

Vadite, & hæc Regi memores mandata referte.
Quòd vitam moror inuisam Pallante perempto,
Dextera causa tua est. Turnum gnatoq. patriq.
Quam debere vides: meritis vacat hic tibi solus,
Fortunæq. locus. non vitæ gaudia quæro:
Nec fas: sed gnato Manes perferre sub imos.

Fuisset igitur inhumanus Aeneas, si Pallantis animam inquietam, & hospitis Euandri postulata neglexisset. Neglexisset autem, si Turnum ipsum, quantumuis obsecrantem, postremumq, supplicium deprecantem audiuisset.

LOCVS X.

DE TOTIVS PERFECTIONE LIBRI.

An aliquid in eo desideretur, aut superet.

Id placuit extremo loco quærere; quia Casteluitrus habet duo, quæ hoc in primo libro reprehendat: vnum; quod superuacaneũ sit, alterum, quod in opere minus absoluto requirendum videatur. Superuacaneam ait esse illam Amoris in Ascanium metamorphosin, & commutationem extrinsecus accersitam: desiderari verò mulierum Troianarum hospitium, quæ relinquuntur in littore, vel in classe; cum earum nulla mentio sit, dum alij Carthaginem omnes aduocantur.

De Cupidinis illo episodio in Ascanium commutati respondeo, non esse redundãs, ac vacans, quia verè dignus erat vindice nodus ille, nec soluendus, nisi per machinam. Cum enim Dido castissima, non modo peregri-

peregrinos illos homines, ignotosq. exceptura esset hospitio libentissimis animis, verum etiam eorum Ducem impotenter amatura, tam admirabilis ea res videbatur, vt nisi aliquis interueniret Deus, qui Didonem flecteret, caperet, prioris viri obliuione quodammodo consopiret, incredibilis futura esset, nec vllam apud quempiam fidem habitura. Quis verò è Dijs omnibus hanc æquius sibi vindicabat machinam, quàm ille, qui & beneuolentiæ putabatur esse conciliator, & eius frater, aduersus quem ea Regina erat amoris ardentissimis facibus inflammanda?

Quod verò de curta, imperfectaq. libri compositione dicitur, multis refelli nominibus potest: sed vnum est satis. Quid inquam? Nemo est, opinor, qui non videat, feminas illas Troianas fuisse gregarias, ac vulgares: adeoq. mirabitur nemo, si minus hospitio recipiantur, aut relinquantur in classe, velut impedimenta quædam, & onera nauium: cum præsertim Aeneæ consilium esset, non resistere Carthagine, sed primo quoque tempore in Italiam soluere. Etenim si inter eas fuisset aliqua regia femina, vel primaria, fuisset sine dubio illo perbreui etiam tempore accipienda hospitio, & adhibenda conuiuio. Nunc autem cum vulgares essent, nihil erat necesse curam istam suscipere, aut earum mentionem aliquam facere, dum Æneas, dum oratores, dum Troianorum primi commemorantur.

Suspicari præterea licet, exceptas illas feminas hospitio fuisse cum reliquis Troianis: sed tamen id non erat memoriæ prodendum, aut perhibendum poëtæ versibus nominatim; cum nulla, vt diximus, esset inter eas tàm magni nominis femina, vt præcipuam postularet à poëta commemorationem.

Finis Libri Primi.

LIBRI SECVNDI AENEIDOS.

LOCVS PRIMVS.

DE DISPOSITIONE POETICAE narrationis.

AN NECESSARIO DIFFERRE DEBEAT ab historica.

Conticuere omnes, &c.

HANC huius initio Libri secundi quæstionem proponimus, quia rei gestæ videbatur ordo postulare, vt narrationis initium caperetur ab incendio Troiano, aut ab eo tempore, quo statim post incensum Ilium classis illa sub Idæ montibus adornata soluit ex Antandro. Illud tamen in libro secundo narratur, hoc in tertio: nec expositio poëtica prius exordium narrandi fecit, quàm septem ipsos annos errasset Æneas, vt Dido testatur in primo.

Immo age, & à prima dic hospes origine nobis
Insidias, inquit, Danaum, casusq. tuorum,
Erroresq. tuos. nam te iam septima portat
Omnibus errantem terris, & fluctibus, æstas.

Quærendum igitur est, an ita necesse habeant ordinem perturbare poëtæ,

poëtæ, vt aliud dare principium poëmati debeant, quàm quod ab ipsa rei gestæ serie sibi vident offerri : cum præsertim Homerus in vtriusque structura operis idem secutus sit institutum; nec inter poëtas vniuersos alios numerare possimus, qui contra fecerint, quàm post Virgilium Latinos illos alterius classis, Silium Italicum, Lucanum, Valerium Flaccum, alios ex eodem ordine paucos.

Si consulamus Horatium, sine dubio respondebit, poëtæ à rei gestæ medio impositam omnino esse necessitatem poëmatis inchoandi : nec aliter exponi, disponique posse poëticum argumentum.

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.

Quo loco citra controuersiam hoc tradit præceptum ingressionis : quia de principijs ibi poëmatum disputat aduersus Cyclicum, atque hæc subiungit versibus illis, quos modo laudaui.

Semper ad euentum festinat, & in medias res
Non secus ac notas auditorem rapit: & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Eandem expositurerat ante præceptionem initio artis. quo fit, vt minus de hominis sententia dubitare debeamus. Ita enim ordinem, dispositionemq. poëticam describit dilucidè.

Ordinis hæc virtus erit, & venus, aut ego fallor,
Vt iam nunc dicat, iam nunc debentia dici
Pleraq. differat, & præsens in tempus omittat.
Hoc amet, hoc spernat promissi carminis auctor.

Sed tamen aliqui requirunt in hoc genere auctoritatem, ac doctrinam Aristotelis; quem dicunt, vel ea de re non præcepisse, vel alia sensisse omnia, quàm quæ hic ab Horatio pronunciantur ex tripode. Nam in cap. v. poëtices, vbi de fabulæ magnitudine differit, cum eam dixisset oportere ex principio, medio, fine coagmentari, veluti corpus aptè, congruenterque compositum ex partibus, principium ita definiuit. Principium illud esse dicimus, quod non necessariò post aliud est, & quo aliquid posterius necessariò est. Docet igitur Aristoteles principium illud esse, quod reliqua antecedit omnia : id vero quid est aliud, nisi quod ante gestum est ? Et monstri profecto simile videatur, si quod medium est, initio collocetur. Locum alium proferunt Aristotelis : vbi sic pene loquitur. Atque hæc in ipso contextu ita sunt componenda, vt ab ijs, quæ ante gesta sunt, nasci consequentia videantur. Existimant enim eum velle, vt quæ gesta prius sunt, priore loco constituantur, quemadmodum fieri videmus in historica collocatione, in qua temporis, naturæq. ordo retinetur.

Au-

Audiendi tamen isti meo iudicio non videntur : neque ob eas ipsorum rationes explodendi poëtarum principes sunt, qui naturæ temporisq. perturbarunt ordinem: nec antiquorum omnium repudianda sententia est, qui semper existimarunt, hoc nomine potissimum historiam ab Epica differre, quòd illa dispositionem sequatur temporis, & naturæ, hæc artificiosam, permutatisq. temporibus collocationem accersitam. Nam Dio Chrysostomus in oratione Troiana, non modo nominatim Iliadem immutato rerum ordine dispositam esse ait, verùm etiam docet vniuersè, illum eundem esse morem, idemq. institutum omnibus, qui res falsas reddere credibiles oratione conantur. Cum Homerus, inquit, suscepisset explicandum Græcorum bellum aduersus Troianos, non est aggressus ab initio, sed aliunde: id quod faciunt plerique omnes, qui mentiri volunt, ac mentiendo tamen fidem obtinere. Implicant enim omnia; nec quicquam ordine dicunt: rati, eo modo facere se posse, vt mendacium multo minus appareat: In iudicijs hæc cernere licet expresè, alijsq. sanè multis in locis, vbi callidè tractatur artificiosèq. mendacium. qui verò sic res demonstrare volunt, vt gestæ sunt, priora prius dicunt, deinde posteriora: tum alia subiungunt, vt tempus, & ratio postulant. Hæc ergo vna est causa, cur Homerus noluerit in suî poëmatis expositione ordinem temporis, ac naturæ seruare. Ex hac inquam Dionis Chrysostomi disputatione, non modò conijcere, sed intelligere perspicuè possumus, antiquorum illam opinionem fuisse, quæ crederet, proprium esse poëtarum in narranda, disponendaq. fabula ordinem inuertere, ac permutare. Videtur idem docuisse Quintilianus his verbis [Vbi ab initijs incipiẽdum, vbi more Homerico à medijs, vel ab vltimis] Cum enim morem Homericum dicit, poëticum intelligit, aut epicum vniuersè. Quin ita prorsus interpretandum puto prouerbium illud, quod vulgò in eos vsurpatum est, qui aliquid ordine peruerso facerent. ὁμηρικῶς ὕστερον πρότερον. dicebantur quippe rem Homericè, hoc est poëticè disponere, posthabitis prioribus, posterioribus antepositis.

Itaque Rodulphus Agricola in tertio libro de Dialectica Inuent. capite septimo, antiquorum iudicia sequutus, decernere non dubitauit, ac pronunciare, inter poëticam, historicamq; narrationem hoc esse discrimen vel maximum, quòd historicus naturalem persequitur seriem, priora primo loco statuens, secundo, tertioue posteriora; poëta rerum gestarum naturam, ordinemq. perturbat, à medijs exordiens rebus, prætermissas aliquo commento, aut episodio postmodum reprehendens.

Ad Aristotelem veniamus, quem isti nobis opponunt. Et quoniam primo loco contendunt, nullam ab eo traditam esse in hoc genere præceptionem, id primùm etiam nos falsò dici demonstremus, deinde

locos

locos illos interpretemur, vbi contra sensisse videtur, quàm vulgò iam de dispositione poëticæ narrationis existimetur.

In cap. poëtices xxij. vbi de narratiua poësi, hoc est Epica dedita opera, consultòq. disputat, ita præceptum hoc, si minus expressè proponit, abditè certè, ac dissimulanter adumbrat. De narratiua, inquit, imitatione illud constat; oportere in ea fabulam ex vna tantum actione perfecta sic constituere, quemadmodum constituitur in Tragœdia: quæ nimirum principio, medio, fine, componatur, vnumq. veluti corpus, aut animal suis absolutum partibus efficiat, à quo peculiaris quædam voluptas, delectatioq. nascatur. Constat item eiusdem narratiuæ poëseos fabulam vsitatis historijs dissimilem esse debere: quæ non vnius tantum actionis expositionem habent, sed temporis tantum vnius. Ex his Aristotelis verbis ratiocinari sic libet. Confirmat Aristoteles fabulæ constitutionem in Epica similem esse oportere constitutionibus Tragœdiarum. Sed Tragica, ceterarumq. drammaticarum expositio formarum principium ducit à medio, vel fine rei gestæ, præterita verò, & superiora per episodia coagmentat, & per narrationes aliquorum hominum, qui ea pro re nata commemorant inter agendum. confirmat igitur Aristoteles, Epicæ narrationis initia petenda esse à medio. Docet deinde constitutionem eandem Epicæ dissimilem vsitatis historijs esse: docet igitur alio prorsus modo disponendam esse, quàm disponatur historia. At si temporis sequeretur ordinem, eodem planè modo disponeretur. Video respondere aliquem posse, dissimilitudinem illam in eo positam esse, quòd Epicæ constitutionis vna sit actio, historicæ plures: ac verè quidem id video dici. sed tamen hinc etiam consequens est, expositionem poëticam esse illo nomine dissimilem, quòd eum temporis, & rei gestæ peruertat ordinem, quem historia diligentissimè retinet, vt dicebamus. Cum enim ita vnam actionem complectatur poëta, vt necesse habeat cetera, quæ prætermisit, episodijs adnectere, non potest eam actionem historico more, hoc est ordine temporis exponere: quia cum addit digressiones illas, obliquasq. narrationes rerum præteritarum, tempora confundit, ab eaque rerum serie naturali necessariò discedit, quam constanter, & tenore perpetuo sequitur historicus. At omittere posset episodia, dicet aliquis, & Vlyssem in Ithacam, Aeneam in Italiam ducere, neglectis illis errorum narrationibus apud Alcinoum, ac Didonem. Negat id Epico poëtæ fas esse, ac ius Aristot. qui in eodem cap. paulò post laudans Homerum, significat episodia illa esse perneccessaria, nec Epicam expleri posse partibus suis, nisi digressiones addantur, atque operis appendices aliquæ. Quamobrem, inquit, ob id etiam præ ceteris diuinus Homerus haberi iure debet, quòd bellum quidem alioqui principio, medio, ac fine constans totum scribere minimè

nimè est aggressus: sed eius parte dumtaxat susceptа, pluribus in ea vsus episodijs est; sicuti catalogo, alijsq. quibus poëtim ipsam locupletissimam reddit. Alterum ego locum proferre possum ex cap. v. vbi de fabularum principio, ac fine conquirendo præcipit in hunc modum: Oportet ergo bene contextas fabulas, neque vnde sors tulit, temereue incipere, neque vbilibet desinere, ac terminari. Quæ præceptio illud mihi videtur velle, quod paulò ante diximus. frustra quippe ea doceret Aristoteles de principio fabulæ, si principium sumendum esset ab initio rei gestæ, quemadmodum natura, tempusq. præscribit. Quorsum enim admonendus esset poëta, ne temerè, ac fortuitò initium operi faceret, si capiendum necessariò esset ab ijs, quæ gesta principio sunt? Illud ergo non dubiè monito tàm præclaro demonstrat; esse quidem exordiendum post initium rei gestæ, sed videndum tamen esse, ne post illud initium, vndecumq. ac temerè exordiamur. Consulendos nimirum putat bonos poëtas, in primisq. Homerum, qui hæc exordia post initium rerum gestarum in loco, prudenterque fecit.

Supereſt, vt de principij definitione ab Aristot. tradita videamus; quam aduersarij sibi sumpserunt veluti solidissimum suæ sententiæ firmamentum. Cum enim dixerit, principium id esse, quod non necessariò post aliud est, & quo aliquid posterius necessariò est, existimant omnino, principium esse poëmatum debere ipsum rei gestæ caput, quo nihil est prius, & quo posterius necessariò aliquid est. Quibus vt respondeam, illud optimo iure contendo: non posse Aristotelem id sibi velle, quod eum isti voluisse credunt, nisi pugnantia cum ijs dicat, quæ, vt ante docuimus, de fabulæ vnitate scripta reliquit. Homerum enim eo nomine laudauit, quòd belli Troiani errorumque Vlyssis partem sibi tantummodo canendam susceperit, reliqua episodijs attexuerit. Nam si principium fabulæ illud est, quo nihil est gestum prius, malè duxit initium Homerus, cum ab ea exorsus est rerum gestarum parte, quam multæ prorsus anteceſſerunt. Existimo igitur Aristotelem eo loco definire principium illud artificiosum, quod capitur à medio, vel certè post initium rei gestæ; ac definiendo pronunciare, id esse fabularum principium exquisitum, atque laudatum, quod quamquam ex ipso rei gestæ medio petitum est, ita tamen apposite, prudenterq. ducitur, vt à rebus, quæ antecedunt, æque benè, accommodatèq. duci non potuisse videatur. Id enim ipsis propemodum cernitur oculis in exordijs Homeri, atque Virgilij: quæ à superioribus oriri cum laude non potuerunt. Itaque rectè dici possunt ea esse, quibus nihil sit necessariò prius, & posterius aliquid necessariò sit. Si enim aliquid prius cum laude non potuit esse, aliquid prius necessariò esse non debuit.

Alia,

Alia, quæ producunt in medium ex Aristotele, affirmante, in ipso contextu poëmatis ita esse componenda omnia, vt ab ijs quæ ante gesta sunt, nasci consequentia videantur, hæc, inquam, puto aliorsum pertinere: nec eum loqui de toto poëmatis textu, sed de illa poëmatis parte, qua sola, demptis episodijs, ipsa rei summa continetur. Non enim semper Aristoteles, cum de poëmate loquitur, ita narrationem totam poëmatis intelligit, vt comprehendat etiam episodia. Video quippe rem ipsam tantummodo, quæ recta narratione tractatur, interdum appellari ab eo, ac dici poëma, vel id quod poëmatis proprium est: vt in cap. xv. In dramatibus, inquit, episodia breuia esse debent: contra in Epopeia sunt longiora: qualia videmus in Odyssea, cuius argumentum hoc est: Cum annos permultos quidam peregrinatus esset, obseruatus à Neptuno, relictus à suis; cumq. res domesticas sic haberet constitutas, vt absumerentur opes à procis, filius appeteretur insidijs; diu multumque iactatus pelago, domum aliquando peruenit: vbi cum aliquos agnouisset, sic in eos inuasit, vt euaderet ipse sospes, inimicos vlciscereturs. hoc itaque proprium eius poëmatis est: cetera ad episodia pertinent. Sic Aristoteles eo loco totum argumentum retexit Odysseæ. Videmus adeo ipsam tantum narrationem rectam, poëmatis narrationem propriam dicere, siue poëma; reliqua omnia extra narrationem propriam posita, tamquam aduentitia quædam, & accersita ipso poëmatis nomine non comprehendere. quod alibi etiam docet, eoque in primis loco, quem proferunt aduersarij. Cum enim ait è rebus gestis priora esse primo loco ponenda, de illa proculdubio loquitur rei gestæ parte, quam sumit sibi recta narratione canendam poëta. quæ profecto sic est tractanda, vt prius ea exponi oporteat, quæ ante gesta sunt, & consequentia postmodum adiungi. non tamen hinc consequens est, res præteritas episodijs interseri non posse; cum de his nullus eo loco sit sermo, sed solum de contextu rectæ narrationis ab episodijs abiunctæ, ac separatæ. Rei quippè gestæ pars, quam sibi seponit Virgilius recta narratione tractandam, non est excidium Troianum, & Æneæ secundum illud incendium à Troiano portu digressio; sed eiusdem Aeneæ nauigantis extremæ tempestates, erroresq., aduentus in Italiam, bella, victoriæ. quibus è rebus id profecto, quod gestum est prius, priore loco positum est. inter extremas enim Aeneæ tempestates erroresque nulla prior est, quam quæ illi accidit à Sicilia digresso propè Carthaginem. Quamquam alia etiam ratione possum Aristotelis dicta interpretari, ac dicere, priora apud illum esse potiora: nec aliud præcipere cum ait è rebus gestis priora esse primo loco ponenda, quàm potiora, & ea, quæ videntur aditum illustriorem facere posse, primo loco esse collocanda. Sed hactenus.

LO-

LOCVS II.

CVR AENEAS DICATVR A VIRGILIO *Pater*.

Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto.

Hoc enimuerò sciscitantur etiam aliqui: cur Aeneas non hic modò, sed alibi quoq. tam sæpe illo Patris nomine cohonestetur. Nouimus quidem seniores à Latinis appellari plerumq; patres; atque à Romulo ipso Senatores illos centum,quos,& senes, & grauissimos legerat, patres item dictos esse. sed Aeneas nondum ad senectutem, ætatemq. prouectam peruenerat.cur ergo dicendus sit pater?

Sunt qui respondeant,patris nomen honoris interdum esse,ac reuerentiæ titulum; nec semper in grandiorem ætatem conferri, sed sæpe in dignitatem,ac principatum. Sic enim Virgilius ipse appellat Augustum non dum senem,sed ætate florentem.

Dum domus Aeneæ Capitoli immobile saxum
Accolet, imperiumq. pater Romanus habebit.

Et Horatius in serm. secundo, satyra prima,haud aliter alloquitur eundem Augustum:

Aut si tantus amor scribendi te rapit,aude
Cæsaris inuicti res dicere,multa laborum
Præmia laturus. cupidum Pater optime vires
Deficiunt, &c.

Quorum insistens vestigijs Ausonius, illo ipso nomine tàm honorifico, reuerentiæq. pleniſſimo Theodosium ornat.

Tu modo te iussisse Pater Romane memento.

Hinc videlicet natum,vt Dijs,quibus opinione gentium,& summa deberi reuerentia, & summus in homines esse principatus putabatur, patres à scriptoribus antiquis appellarentur, quod à Seruio docetur ad illud secundi libri Georg.

Huc Pater ò Lenæe veni.

Quare nullum Deum esse ait, cui patris hoc epitheton attributum non sit; quia nullus est, qui aliquem non obtineat principatum. Quin ipsi fluuij,ac montes præcipui, quoniam colebantur pro Dijs, & principatum habere videbantur in alios, sæpissimè patres, hoc est in suo genere principes, ac rerum domini sunt apud poëtas. Nam Oceanus Virgilio pater est, pater Neptunus, pater Apenninus, pater Inachus

chus Valerio Flacco. De Ioue Deorum principe nihil dicatur, qui pater sæpius est apud antiquos, quàm Iuppiter. Cum igitur Aeneas princeps esset,& ductor Troianorum,hoc est is, cui deberetur à Troianis honor,ac reuerētia, putarūt patrem à Virgilio dictum quasi Regē,& Principem;ex Homero nimirum desumpta loquēdi forma,qui in Odiss. θ Vlysem patrē nominauit,cuius paulò ante laudauerat iuuētutē.Hæc in summa istorum sententia est: Aeneam propterea patrem dici,quod Dux esset, ac princeps Troianorū. Quibus addere fidē possint serui illi, qui in Reg.lib.iv.cap.v. Præfecto militiæ dicunt. Pater, etsi rem grandem tibi dixisset Propheta, certè facere debueras. Quæ quidem, vt verè dicantur, posthabenda tamen ijs sunt, quæ Iulius Scaliger in lib. poëtices v. cap.iij. decernit arbitrando. Affirmat enim,Æneam propter similitudinem quandam sic patrem dici,quemadmodum idem cognomentum tribuitur Ioui, qui profecto, non reuerentiæ solum, aut religionis ergo, quæ tanto Principi deberi videbatur,dictus est pater: sed propterea nominatim, vt ait Porphyrius, quòd ad Iouem omnes omnino familiæ tamquam ad auctorem referrentur. Ideo,inquam, Aeneam appellari patrem arbitratur,quòd Romanorum omnium principium esset, ac fons, laudatq. testem Virgilium ipsum;quòd hoc explicatè docuerit eo versu.

At pater Aeneas Romanæ stirpis origo.

LOCVS III.

DE IVBA DRACONVM.

An vere iubati dracones inueniantur aliqui, quemadmodum à Virgilio hìc effinguntur.

Ecce autem gemini à Tenedo tranquilla per alta
(Horresco referens) immensis orbibus angues
Incumbunt pelago,pariterq. ad littora tendunt.
Pectora quorum inter fluctus arrecta, iubæq.
Sanguineæ exuperant vndas, &c.

Iubas hasce draconibus à Virgilio datas, quibus omnino nullæ dicūtur esse,aliqui non probant. Sunt enim iubæ belluarum crines è collo pendentes, quales in equis,atque in leonibus cernimus, nec alias dici iubatas animantes videmus, quàm eas, quibus eiusmodi crines

circa collum, aut è collo pendentes à natura dati sint. Sed si hos audiamus accusatores, alios quoque poëtas reprehendere necesse erit, & quidem multos: in primisq. Apollonium Rhodium, qui monstris aliquot marinis iubas item attribuit: & Valerium Flaccum, qui libro tertio leam fecit iubatam, cui crines non sunt collo circumiecti.

Non aliter gemitu quondam lea prolis adempta
Terga dedit: sedet inde vijs, incluſaq; longo
Peruigilant caſtella metu, dolor attrahit vrbes
Interea, & miſero manat iuba ſordida luctu.

Neminem tamen reprehendere necesse est. Virgilium enim & Apollonium reprehensione liberat metaphora; ad quam confugere nos iubet, cum poëtas tueri volumus, Aristoteles: vt in Prolegomenis diximus, defens. vij. Iubam igitur appellat Virgilius non crines quidem illos collo circumpendentes, & circumfusos, sed cristam, quam draconibus esse confirmat ex quorūdam auctoritate Plinius lib. viij. cap. xiij. Nec alia fortasse marina monstra descripsit iubata, quàm cristatos dracones Apollonius: cum ibidem Plinius ipse testetur, quaternos, quinosque interdum dracones inter se cratium modo implexos erectis capitibus velificantes ad meliora pabula Arabiæ vehi fluctibus. Neque vero est, cur aliquis eundem nobis opponat Plinium; quòd in lib. xj. cap. xxxvij. dicat, cristatos dracones à nemine visos. Satis enim est poëtæ, qui verisimile sequitur, si res affirmetur ab aliquo. affirmari autem ab aliquo scripserat iam in lib. viij. cap. xiij. Quare vindicandus est etiam Plautus, qui ante Virgilium ipsum iam in Amphitruone serpētes dixerat iubatos, hoc est cristatos dracones.

Deuolant angues iubati deorſum in impluuium duo.

Non igitur erit necesse Seruij defensionem arripere: qui pro iubis illis draconum apud Virgilium, ait intelligi posse etiam barbas. Cum enim cristatos habeamus dracones aliquos, barbatos nullos, ad cristam potius est confugiendum, quàm ad barbas.

Porrò Valerius Flaccus, qui leam iubatam describit, aliam quidem inueniet ab eodem Aristotele defensionem paratam in cap. illo xxiij. vbi Pindarum ceruas feminas facientem cornutas vindicat ab errore, illo nomine, quòd eiusmodi peccatum extrinsecus aduētitium sit, non poëticæ proprium: sed tamen etiam ipse translatè fortasse setas, ac pilos circa collum leænæ dispositos appellauit iubas, tum præsertim, cum ex ira, subriguntur. Videmus quippè canibus quoque, cum irascuntur, circa collum erigi pilos: quos leaenæ ex ereptis catulis frementi, qualis est ea, quam describit eo loco Valerius, multo magis horrere necesse est. Itaq. iubas eos pilos appellare metaphoricè rationi consentaneum erit.

Video equidem Columellam gallos gallinaceos pulcherrima me-

tapho-

taphora dicere iubatos, non tàm ob criſtam illam purpuream, quàm ob eas plumas circa collum verſicolores, quæ belluarum iubis ſimillimæ ſunt. lib. viij. cap. ij. Iubæ deinde variæ, inquit, vel ex auro flauæ per colla, ceruiceſq. diffuſæ. Hæc inquam metaphora ſumitur ex propinquo propter eam de qua dixi ſimilitudinem, adeoq. accommodatiſſima eſt; ſed tamen eſt etiam illa maximè probabilis, quæ iubas accommodat criſtis, quantumuis ex longinquo petatur. Ducitur enim, vt puto, ab altera metaphora, quæ galearum conis impoſitas criſtas appellat ideo iubas, quod criſtas illas antiqui fecerint principio ex equorum iubis, caudiſque, vt eſt apud Homerum in Iliad. lib. iij. & vj. & apud Virgilium ipſum in x. de Mezentio.

---------- *criſtaq. hirſutus equina.*

Plumæ tamen cõfecuto poſt tempore fuere barbaris pro criſtis equinis. Nam Plutarchus in Mario galeas equitum Cimbrorum, & plurimis, & horribilibus hiantium animalium formis inſignes deſcribit. Quin illa galearum ornamenta comantia, vt poëtæ loquuntur, non niſi metaphorice dicta ſunt criſtæ. proprie quippe videmus tantum criſtas auibus quibuſdam, nominatimq. gallis ipſis gallinaceis, aut draconibus dari, qui ſunt item alati. Quantum enim attinet ad aues, vpupam Plinius criſtatam dicit, cui plumæ quædam in capite ſunt plicatiles, habileſq., quæ ſubriguntur identidem, ac ſubinde demittuntur. lib. x. cap. xxix. Vpupa, inquit, obſcœna aliàs paſtu auis criſta viſenda plicatili. ſed pluribus, ac plenius de ceteris auibus, deque gallinaceis in lib. xj. cap. xxxvij. In capite, inquit, paucis animalium, nec niſi volucribus apices, diuerſi quidem generis. Phœnici plumarum ſerie, è medio eo exeunte alio: pauonibus, crinitis arbuſculis. ſtymphalides cirro; phaſianæ corniculis. præterea paruæ, quæ ab illo galerita appellata quondam, poſtea Gallico vocabulo etiam legioni nomen dederat, alaudæ. Diximus, & cui plicatilem criſtam dediſſet natura per medium caput à roſtro reſidentem. Et fulicarum generi dedit cirros. Pico quoque Martio, & grui Balearicæ. Sed ſpectatiſſimum inſigne gallinaceis, corporeum, ſerratum: nec carnem id eſse, nec cartilaginem, nec callum iure dixerimus, verum peculiare. Draconum enim criſtas qui viderit, non reperitur. Cornua multis quidem, & aquatilium, & marinorum, & ſerpentium varijs data ſunt modis. Ita quidem hoc loco Plinius diſputat, ſed tamen haud infirmat eorum auctoritatem, qui dracones criſtatos eſſe tradidere. quos ſecutus eſt etiam Ouid. metam. lib. quarto, & Seneca Tragicus in Hercule furente: qui angues, ac dracones ipſos dixere criſtatos.

Itaq. cum horum propriè ſit animalium criſta, translatè tributa eſt galeæ. Et quia galearum criſtæ ſunt ex iubis equinis, iterum hæ translatè dicentur iubæ. fietq. vt proportione commutata quemadmodum

de metaphora præcipit Aristoteles in lib. Rhetor. iij. cap. iv. & auium crista dici iuba possit, & galearum iuba etiam crista. Nihil igitur mirum esse debet, si Virgilius iubam tribuit anguibus illis, quos videbat à nonnullis haberi, & dici cristatos. Cum enim crista iam notissima metaphora diceretur iuba, erat illi fas draconum cristam iubam dicere, & dracones ipsos appellare iubatos.

LOCVS IV.

AN ACHILLES VERE SIT Lariſſæus.

Quos neque Tydides, nec Lariſſæus Achilles.

Hanc nobis aliqui litem conteſtantur: quia dicitur à multis Achilles Phthius, in primisq. ab Horat. lib. iv. Od. vj. Phthia verò vrbs, & Lariſſa quamquam vtraq. Theſſalica eſt, diſtant tamen inter ſe longiſſimè. ſed diluitur ea dubitatio, atque omnis facilè defenditur controuerſia ex opinione ſcriptorum varia, quam perpendere nos iubet Ariſtoteles in poëtarum cauſa, vt nos multis declarauimus in Prolegomenis, defenſ. vlt. Erant quippe varia, quæ de Achillis patria tradebantur; cum eum alij natum Lariſſæ vellent, alij Phthiæ: nec ſatis multi ſciebant veram, germanamq. Achillis vrbem, aut oppidum illi natale. Quo fiebat, vt integra res eſſet, liceretq. poëtis, eũ, vel Phthium dicere, vel Lariſſæum. Itaq. Virgilius ipſe alio quodam loco Achillis patriam Phthiam dixit eſſe, non Lariſſam.

Cum domus Aſſaraci Phthiam, claraſq. Mycenas
Seruitio premet, & victis dominabitur Argis.

Ceterum quamquam hæc ita ſunt, & ſic ipſa Virgilij ſatis ſuperque defenſa cauſa eſt, addo tamen aliqua poëtarum aliorum exempla, quæ demonſtrent, à multis patriam certorum quorundam hominum fuiſſe multò mutatam licentius, quàm à Virgilio permutetur hoc loco Achillis ciuitas. Propertius, vt ab hoc ordiar, in lib. ij. auſus eſt dicere Laidem, nobile ſcortum, fuiſſe Corynthiam.

Non ita complerant Ephyrææ Laidos ædes.

Id quod etiam eſt auſus Claudianus in primo libro aduerſus Eutropium, & Antipater Sidonius in tertio Anthologiæ. Et tamen ex hiſtoricorum auctoritate ſcimus, eam fuiſſe Sicilienſem. Ita quippe teſtatur Plutarch. in Nicia, Stephanus in Lexico geograph. verbo κεγχρὶς,

Synne-

Synesius in epistolis, Athenæus in lib. vij. Scholiastes Aristophanis in Pluto. Cur ergo Corynthiã illi poëtæ fecerunt Laidem, quæ à tam multis dicitur esse Sicilienſis? Respondẽt Poëtarum patroni; Laidem natam quidem fuisse in Sicilia, sed diu multumq. iam adultam, & meretricem iam nobilem habitasse Corynthi, vbi famosissimæ fuere pellices, & quidem innumerabiles: inter quas à quibusdam recensebatur etiam Lais. Atque haud scio an in illo Veneris templo Corynthio fuerit, vbi affirmat interpres Aristophanis, meretrices amplius mille prostitisse. Certè hæc illius in ea vrbe commoratio, habitatioq. fecit, vt iure dici Corynthia posset. Quam item causam esse ijdem putant, cur Virgilius alijque in tradenda nobis Achillis patria dissentiant ab alijs. Alteram enim è duabus vrbem natalem sciebant Achillis esse, alteram ab eodem cultam & habitatam: adeoque sibi fas esse putarunt vtriusque illum ciuem facere pro arbitratu: cum, præsertim, vt dixi, scriptores in eo non conuenirent. Duos fuisse poëtas scimus apud Graecos, qui scripserint Argonautica, quorum primus est Dionysius Thrax, alter Apollonius Alexandrinus. Vterque tamen dicitur Rhodius ideo, quòd vterque longo tempore Insulam illam inhabitarit. Quamquam quid ista ita conquirimus, quasi necesse sit eas saltem habitasse nos vrbes, quae nobis à poëtis pro patria dantur? Etiam citra eiusmodi causam, planeque pro arbitrio videmus interdum poëtas aliquorum patrias immutasse. Ouidius enim Coum dixit Apellem, quem Strabo, alijque fuisse testantur Ephesium.

Si Venerem Cous numquam pinxißet Apelles.

Hac eadem abusus est licentia Petrarcha, cum Plinium Veronensem appellauit, quem plerique omnes volunt esse Nouocomensem. Arripuit etiam ipse occasionem sic arbitrandi ex opinione varia, sententijsque discordibus, quae circumferebantur olim de patria Plinij. Vt enim in multis inscriptus lapidibus antiquissimis sit Nouocomensis, & sic prorsus appelletur in Chronicis ab Eusebio, in aliquot tamen vetustis codicibus historiae naturalis, quam ipse scripsit, hic index ante memoriam nostram legebatur. Plinij Veronensis, &c. Immo vero contendunt aliqui, nonnulla, manu styloque exarata volumina illam ipsam hodieque inscriptionem retinere Plinij Veronensis. Suppetit ad haec non leuis coniectura ex Plinio Iuniore, qui per epistolam ita superiorem alloquitur Plinium patruum suum. Rectè feciſti, quòd Veronensibus nostris gladiatorium munus promisisti. suppetit ex ipso Plinio, de quo loquimur; qui in praefatione Catullum appellat conterraneum suum. vt obiter, inquit, emolliam Catullum conterraneum meum. Catullus verò sine dubio est Veronensis.

Vidit hanc eãdem licentiam, sibiq. sumpsit Dantes Alighierius, cum

Papinium Statium Toloſanum appellauit, qui Neapolitanus eſt, non ex veterum modò auctoritate, ac teſtimonio, ſed ex ipſius profeſſione Statij in Siluarum libro iij. ſil. vlt.

Anne quod Euboicos feſſus remeare penates
Auguror, & patria ſenium componere terra?

Id quod paulò poſt planius explicat, de patria illa ſua verſibus his interponendis.

Noſtra quoq. & proprijs tenuis, nec rara colonis
Parthenope: cui mite ſolum trans æquora vectæ
Ipſe Dionæa monſtrauit Apollo columbæ,
Has ego te ſedes (nam nec mihi barbara Thrace,
Nec Lybiæ natale ſolum) transferre laboro.

Quamquam, inquam, ipſe quoque Statius Neapolitanum eſſe ſe profitetur, ab eo tamen poëta dictus eſt Toloſanus; ex ea nimirum licentia, quæ permutat patrias. Et fuit profectò idonea cauſa, cur eam ille ſibi licentiam vſurparet, ab ignoratione mortalium, apud quos diu multumq. de Statij patria, nataliq. ciuitate dubitatum eſt; cum præſertim in ea deſignanda etiam erraſſent hiſtorici. Nam Euſebius in Chron. Toloſanum Papinium nominat, & Sidonius Apollinaris in epiſtola quadam videtur eum Aquitanicum dicere.

Nam quod Papinius tuus, meuſq.

Is enim, ad quem ſcribit, & Apollinaris ipſe qui ſcribit, Aquitanici ſunt. Fruſtra igitur, & iniuria Virgilius accuſatur, qui tam iuſtam habet cauſam cur Achillis patriam opinione ſcriptorum ſic incertam & variam non ſemper eandem fecerit, eumq. nunc Phrygium eſſe dixerit, nunc Laryſſæum. Patrocinantur enim ei ceteri poëtæ: patrocinatur in primis Ariſtoteles, hanc veniam in variantium ſententiarum multitudine poëtis impertiens, vt quodlibet ſibi ſumant, eligantq. pro arbitratu, quod diximus in Prolegom. Defenſ. vlt.

LOCVS V.

DE AVRO BARBARICO.

An rectè illud Epitheton opulentiæ Troianorum, ac Priami tributum ſit.

Barbarico poſtes auro, ſpolijſq. ſuperbi.
Procubuere.

Aenex

Aeneæ verba sunt hæc apud Didonem, exponentis excidium Troianæ Regiæ: quæ, & auro cælata erat, & triumphalibus exornata monumentis. In quo poëtam arguunt incõsiderantiæ; quippe qui Æneam inducat de sua patria loquentem perperam, hoc est eius ornamenta dicentem, & appellantem barbara: nec eundem habeat cursum, & constantiam orationis, qua semper alibi honorificè sanè de Troia, Troianisq. commemorat. Vt.

Quis Troiæ nesciat vrbem,
Virtutesq. virosq. &c.
O patria ò Diuum domus Ilium, & inclyta bello
Mœnia Dardanidum.

Cuius enim inconstantiæ nunc sit, illam ipsam vrbem barbaram dicere, quam ante tàm magnificè collaudarit? Neque verò Troiani ex eo genere nationum externarum erant, quæ habebantur barbaræ. Hauserant enim originem à Græcis, hoc est à colonia, quam Teucer è Creta deduxit in Phrygiam, & Græcè loquebantur, vt multa eorum vocabula demonstrare videntur, quæ Græcam habent etymologiam. Huc accedit, quòd ex omnibus minimè debuit barbaros appellare Troianos is, qui Romanos commendare potissimum studebat à maioribus Troianis, quorum ex sanguine ortum, ac natales antiquis iam temporibus habuissent.

Duæ sũt huius loci vindicandi rationes, ac viæ. quarum primam expediuit Modicius: qui Barbaricum aurum putat aurum esse partum à Barbaris, quos Priamus bello deuicisset. videtur enim id esse quod in clausula versus adiungitur.

Spolijsq. superbi.

Quasi velit poëta significare, aurum illud fuisse de spolijs, ac manubijs hostium barbarorum. Quo loco id agebat fortasse Virgilius, vt in ijs manubijs, spolijsque laudaret Romanos: qui, vt tradit memoriæ Plinius, hostium spolia, & monumenta triumphalia postibus affigebant suis, ea lege, vt nemini liceret ea refigere; tametsi ad alios hæredes, ac dominos aliquando peruenirent domus. Quod si quæras quibus nam ex hostibus barbaris victoriam Priamus, & ea spolia reportasset, disces ab Homero: qui eum pugnasse dicit aduersus Amazones: disces à Seruio: qui testatur imperasse Phrygiæ, atq; Mygdoniæ; Mysiam verò ipsam debellasse totam, in suamq. potestatem redegisse. Quibus victorijs potuit haud dubiè aurea referre domum ornamenta, foribusq. basilicæ sic suspendere quemadmodum posteà Romani triumphalia illa spolia manubiasque suspenderunt. Quæras tamen iterum, cur Barbari dicerentur potius illi finitimi, Reges, nationesq. debellatæ, quàm ipsi Troiani. sed causam paulò ante iam indicauimus, cum diximus à Græcis oriundos esse Troianos. Hinc enim fiebat, vt ceteræ

nationes, finitimaeque gentes, quae nullam cum Graecis coniunctionem, ac neceſſitudinem haberent, ſi cum Troianis conferrentur, barbaræ dici merito deberent, eorumque res, & ornamenta barbarica. Atque hæc prima ratio eſt amoliendæ difficultatis.

Alteram proponit Adrianus Turnebus in lib. ix. cap. xviij. à ſuperiore longe diſtantem, illiq. planè contrariam, ſed maximè probabilem. Docet quippè, nomen hoc [barbarum] in omnes quidem populos, qui Græci non ſint, atque adeo in ipſos quoque Romanos, ac Latinos conuenire, (barbaros enim eos Plautus appellat in quodam prologo cum Græcam Comœdiam ait ſe vertiſſe barbarè, hoc eſt latinè) ſed tamen interdum idem vocabulum ita contrahi, vt nominatim inter Barbaros omnes ſignificet Phryges; quod eſt apud Tullium in prima quæſtione Tuſculanarum ex veteri poëta, qui dixit.

---------- *Stante ope Barbarica.*

hoc eſt Imperio ſtante Phrygio. Nec aliam voluit à nobis intelligi nationem, niſi Phrygiam Horatius illam, quam ipſe Barbariam nominauit in ep. ij. lib. primi.

Græcia Barbariæ lento colliſa duello:

Et cum in Epod. Ode ix. Barbarum carmen dixit, Phrygium ſine dubio ſignificauit ſonum.

Sonante miſtum tibijs carmen lyra,
Hac Dorium, illis Barbarum.

legi enim Muſicorum, quæ Doria dicitur apud ſcriptores opponitur Phrygia: Itaq. ſi hæc vere dicuntur, dicuntur autē veriſimè, nihil erit aliud Barbaricum aurum, quàm Troianum, ac Phrygium. Sed cauſam exquirere neceſſe eſt, cur ex omnibus, qui barbari dicebantur, hoc ſibi nomen ſingulariter ipſi vindicaſſent Phryges. Neque enim ad linguam confugere poſſumus, aut ad diſcrimen illud inter Græcos, ceteroſq. cum Troiani, quod ſupra diximus, originem ducerēt à Græcis. Natum id ego puto ab eius Regni diuitijs, & opulentia. opes enim exaggeratæ, inſigneſq. diuitiæ immò verò delitiæ maximæ dictæ metaphorice ſunt à Latinis barbaræ; quia barbaræ nationes his circumfluebant, Græci, Latiniq. parcius vtebantur. Teſtatur id poëta peruetus apud eundem Tullium hoc antitheto. Quibus magis palæſtra, Eurotas, ſol, puluis, labos, militia in ſtudio eſt, quàm fertilitas barbara, hoc eſt, Barbarorum deliciæ, copiæque. Cum ergo inter Barbaros omnes opulentiſſimi Phryges, delicioſiſſimiq. haberentur & eſſent, propter excellentiam illam opum iure dicuntur Barbari, hoc eſt, ditiſſimi, eorumque aurum Barbaricum appellatur, quaſi multum & exaggeratum: ſic inquam, vt poſtibus etiam ipſis illitum eſſet. Idem nomen quaſi proprium video poſtea collatum in Perſas. Quorum Rex ætate Demoſthenis appellabatur propriè Barbarus. nec

aliam

aliam credo causam fuisse, nisi quia Persarum deliciae, diuitiaeque haud minus fuerunt insignes, quàm ante fuissent opes Phrygiæ,& gaza illa Troiana. Quare nihil agunt qui Virgilium arguunt inconstantiæ. siue enim priore illa, siue hac posteriore insistas via, laudatos Troianos inuenias: cum eorum aurum, vel partum à Barbaris, vel multum,& exaggeratum intelligi debeat esse, quod barbarum appellatur.

LOCVS VI.

AN AENEAE DE OCCIDENDA HELENA deliberatio à decoro discedat.

Non ita. namq. etsi nullum memorabile nomen.
Feminea in pœna est, nec habet victoria laudem,
Extinxisse nefas tamen, & sumpsisse merentis
Laudabor poenas, animumque expleße iuuabit
Vltricis flammæ, & cineres satiasse meorum.

Huius occasionem quæstionis, ac materiam illi duo censores, arbitrique Varus, ac Tucca dederunt, quibus Aeneida recognoscendam permisit quidem Augustus, sed ea lege, vt demerent si quid demendum, ac tollendum censerent, nihil tamen adderent de suo. Hac enim illi suscepta prouincia, duos, & viginti versus, quibus illa de occidenda Helena continetur Aeneæ deliberatio, induxerunt, expunxeruntq. duplici causa permoti. Prima erat; quòd pugnantes viderentur esse cum ijs, quæ dicuntur in vj. libro, vbi casus, & infortunium enarratur Deiphobi. Hoc enim loco libri secundi, quem habemus in manibus, Helena in Vestæ sacrario latuisse fertur, cum Ilium incenderetur.

Iamq. adeo super vnus eram; cum limina Vestæ
Seruantem, & tacitam secreta in sede latentem
Tyndarida aspicio, &c.

In sexto verò flagrante iam Troia non quidem in aede Vestæ fuisse dicitur, sed in Deiphobi coniugis domo; ibique Menelaum intra thalamum deduxisse.

Namq. vt supremam falsa inter gaudia noctem
Egerimus, nosti; & nimium meminisse necesse est, &c.
Egregia interea coniux arma omnia tectis
Emouet: & fidum capiti subduxerat ensem.
Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit.

Alte-

Altera causa, quæ Iudices illos ad eosdem versus obliterandos impulit ea fuit, quòd aliquid haberent indignum viro forti, atque à summo abhorrens Imperatore. Neque enim decere putabant, eum qui ad fortissimi Principis exprimitur formam, aduersus feminam sic irasci, vt dicere poëta non dubitet.

Exarsere ignes animo, subit ira cadentem
Vlcisci patriam, & sceleratas sumere pœnas.

Mihi verò quamquam non erat hoc loco consilium priorem illam attingere controuersiam, video tamen impositam esse necessitatem eius repugnantiæ conciliandæ antequam ad secundam accedo quæstionem, quam consultò, ac de industria tractare decreui. Aio igitur ea, quæ vtrobiq. dicuntur à Virgilio, non esse pugnantia; si rem ita gestam esse intelligamus, vt nunc exponam. Helena ipso noctis initio, cum Troiani vino somnoq. consopiti iam essent, chorum simulans, facemq. manu prætendens summa ex arce vocabat Danaos, hoc est è Regia Priami, vbi tunc erat choros ducens, & ludibunda. Cum verò iam illi Græcorum duces armati desilirent ex equo, domum illa se recepit suam ad Deiphobum coniugem, Priami filium, cui post obitum Paridis tradita in connubium fuerat. Ibi Menelao thalami fores aperuit, vt gratiam ab eo iniret iterum, illiq. reconciliaretur. Occiso Deiphobo, eiusque incensa domo, Menelaus, quamquam non est aspectu coniugis officioq. planè delinitus, eam tamen interea permisit incolumem, pœnas posteà repetiturus. Helenæ itaq. de Menelao nil iam benè sperāti necesse fuit alium quærere salutis locum, vbi lateret. Hunc vero nō in Priami Regia, quæ iam cōflagrasset, sed in æde Vestæ reperijt opportunum. Qua expugnata Regia, cum descenderet Aeneas, armatorum vallatus globo, in Vestæ limine obuiam habuit Helenam. Itaque, si tempora spectes varia, quæ spectare nos iubet Aristoteles in accusationibus poëtarum, vt docuimus in Defens. xv. nihil erit in secundo cum ijs pugnans, quæ canuntur in sexto. Ante quippè Deiphobum prodidit Menelao domi suæ, vt in sexto dicitur, deinde ad quærendam salutem in æde Vestæ se condidit; quod hic legimus in secundo.

Nunc de altera quæstione, quæ grauior est, aggrediamur exponere, ac videamus num Æneæ summo Imperatori sit indecorum de occidenda femina deliberare. quippe mulier imbecillior natura est, & meticulosior, vir audentior, at robustior; adeoque vir à virtute, mulier à mollitie, vt aliqui putant, nomen accepit. Quare decernit Aristoteles in problematis, iniquius esse feminam interficere, quàm virum: cum illa ob eam de qua dicebamus imbecillitatem minus idonea sit iniuriæ faciendæ. Erit igitur alienum a viro forti, atque magnanimo aduersum id eniti, aut contendere, quod infirmius est, nec idoneas habet

bet vires ad repugnandum. Quam rationem tractat sedulò Tiraquell. in leg. Connub. num. lxxv. laudatque Aurelianum Imperatorem, quòd Zenobiæ, à qua videbat sibi fuisse iam per summam perfidiam ereptum Imperium, vitam condonari iusserit, cum à militibus raperetur ad necem. Indignum enim Imperatore censuit, à femina quantumuis iniuriosa, & perduelli repetere pœnas: maluitque à se vindictam, quàm altitudinem mentis, ac magnanimitatem desiderari.

Duas hic etiã inire licet ad Virgilij tutelam rationes, ac vias. Prima sit huiusmodi. Aeneas non statuit affirmatè sibi sumendas esse pœnas à femina, sed dubitabundus deliberat, expediat ne viro forti, iusto, atque magnanimo feminam illam interimere, quæ flammas incendio Troiano subdidit primas, postremas etiam suppeditauit. hæc autem deliberatio Aeneam non dedecet absolutè iustum, perfecteq. magnanimum. Quemadmodum enim in virum sapientem ex ipsorum quoque confessione Stoicorum cadunt aliquæ commotiones inconsultæ, vt Seneca docet, & Gellius lib. xix. cap. 1. sic Imperatori magno, & forti accidere queũt dubitationes, de quibus adhibita in consilium prudentia deliberandum sit. Nihil ergo decernit, sed differit, & secum ipse consultat Aeneas. Cuius quidem consultationis hæc prima pars est. Nullum feminea in pœna potest esse memorabile nomen: nec vllam habebit vnquam laudem de imbecilla natione victoria. Altera; sed tamen in omnium ore versabor, si tantum nefas extinxero, & laudabor, quòd pœnas, suppliciumq. à merente, noxiaque femina repetiuerim. In qua disceptatione tam dubia, quia melior vincit pars ex occursu matris Deæ, quæ rectam significat rationem, sine dubio expictus hic est Aeneas ad exemplum viri fortis, magnanimi, iusti, absoluti numeris omnibus Imperatoris. Adest enim illicò deliberanti, & ambigenti Venus, eique nebulas detergit omnes, admonet eundem, officij sui, docetque non tam Helenam, quam iram, atque inclementiam Deorum Troiani esse causam incendij.

Talia iactabam, & furiata mente ferebar;
Cum mihi se non ante oculis tàm clara videndam
Obtulit, & pura per noctem in luce refulsit
Alma parens, &c.

Ceterũ si mirum alicui videatur, quòd Venus pro recta ratione interueniat, meminerit necesse est, duplicẽ esse Venerem: vulgarem vnam, quæ fœturæ præsit, ac genituræ, cælestem alteram, quæ rectam rationem omnium genitricem, parentemq; virtutum figmento pulcherrimo Platonicorum adumbret, qua de re disputauimus accuratè in primo nostrarum orationum volumine; cum de Virgilij diceremus allegoria.

Secunda ratio defensionis in hunc à me modum conformatur. Esto decre-

decreuerit Aeneas Helenam de medio tollere, nihil tamen est actum, quod fortitudini, magnanimitati, iustitiæ consentaneum non sit. Non enim ea gratia, eoque consilio vult Helenam occidere, vt laudem inde sibi paret, ac gloriam, quam intelligit esse nullam in feminea poena; sed vt sic plectat criminosam illam, ac sceleſtam, quemadmodum iustitia Principum postulat, & vindicta; vt suorum placet Manes eius feminæ sanguine, cuius vitio priuati sunt vita; vt auertat periculum seruitutis turpissimæ ab ijs, qui superstites essent ex incendio. Nam, si Menelaus, collecta iam præda, reconcilietur Helenæ coniugi, eam, captiuorum stipatam comitatu, atque seruitio reducet in Græciam. Hac nimirum cogitatione maximè compellebatur Aeneas, cum de tollenda Helena consultabat.

Scilicet hæc Spartam incolumis, patriasq. Mycenas
Aspiciet? partoq. ibit Regina triumpho,
Coniugiumq; domumq., patres, natosque videbit
Iliadum turba, & Phrygijs comitata ministris?
Occiderit ferro Priamus? Troia arserit igni?
Dardanidum toties sudarit sanguine littus?
Non ita.

Quis enim patiatur affines suos, & matronas Troiæ primarias imperio premi tàm impudicæ mulieris? Benè igitur Aeneas, prudenterq; colligit ad extremum, coniectatq; laudaturos omnes auctoris manus, si caederetur Helena, factumq. tamquam aequissimum, iustissimumq. probaturos.

Extinxisse nefas tamen, & sumpsisse merentis
Laudabor pœnas, animumq. explesse iuuabit
Vltricis flammæ, & cineres satiasse meorum,

Nihil igitur in versibus illis est cum alijs pugnans, nihil abhorrens ab Imperatorio decoro, nihil à iustitia, nihil à virtute, quæ virum decet, alienum est. Itaq. male Virgilius accusatur inscitiæ: imprudenter atque inscite Iudices illi ab Augusto designati sapientissimos poëtæ versus inducere atque obliterare conati sunt. Suffragari potest huic loco defensio ex Prologomenis quinta, quæ περιστάσεις, hoc est circumstantias spectare maximè iubet in ijs, de quibus accusari poëtas videmus. Hæ quippè faciunt, vt honestum sit, quod alioqui turpe, atq. indecorum esse videretur. Peristases verò, & circumstantiæ sunt, locus, tempus, personæ, in primisque, vt ibi ait Aristoteles, finis, & id cuius gratia geritur aliquid. Saepè quippè poëtæ aliquid factum volunt, ac fingunt fieri boni maioris adipiscendi gratia, vel maioris alicuius mali vitandi studio. Quæ profectò cadunt in hoc Aeneæ consilium ad amussim. Si enim Helenam occisam vult, vult propterea, quòd Troianorum interfectorum animas placare cupit illo sanguine,

quem

quem ſitienter eas expetere putat, ex illa veterum opinione, de qua ſupra alio loco diſſerui. id verò bonum aliquod maius eſt, quàm feminam illam præſtare incolumem, & liberare. Si ſua eam manu decernit extinguere, quod indecorum videtur, decernit ideo, vt matronas nobiles, & nurus Priami Regias eripiat è miſerrima ſeruitute, quam ſeruire cogentur, ſi Helena ſuperſtes ſit: quod profecto decernitur mali cuiuſdam cauſa vitandi multo maioris, quàm ſit id, quod ab infamia imminet Aeneæ, ſi Helena viri fortiſsimi manu tollatur è medio.

Finis Libri Secundi.

LIBRI TERTII

AENEIDOS

LOCVS PRIMVS.

DE HVIVS DIVISIONE LIBRI à proximè ſuperiori narratione.

NODVM hìc in ſcirpo quæſiuit, inuenitque Caſteluitrus, Virgilium arguens, quòd libri huius narrationem ſeiunxerit à ſecundo: nec è duobus fecerit vnum; cum vtriuſque vna eademq. ſit expoſitio narrantis Aeneæ ſuper menſam Didonis excidium Troianum, erroreſq. ſeptennes. Quin eodem nomine multo maximè reprehendit Homerum, quod ſermonem Vlyſſis apud Alcinoum in libros diuiſerit quatuor. Cauſam accuſationis repetit altius.

Exiſtimat enim Epicos poëtas totum carmen,& ſuum ipſorum opus diuiſiſſe in quaſdam quaſi concentiones,recitationeſue,hoc eſt in certas partes, quæ commodè vno ductu,impetuq. dicentis recitari poſſent ſine illorum ſatietate,qui audirent: eo planè modo, quo Comoedia,aut Tragoedia diuiditur in actus, & ſcenas ſuas. Has autem recitationes, & partes appellatas eſſe contendit ab auctoribus libros: adeoq. recitationes ſingulas libris ſingulis comprehendi debere:quod ſi longiores ſint, iuſta eas reprehenſione carere non poſſe. Hinc intelligi vult,Homerum peccaſſe dupliciter: primo quidem, quòd plus nimio longam fecerit expoſitionem illam Vlyſſis, deinde quòd eandem in libros diuiſerit,nec libros ipſos abſoluta narratione terminarit.

rit. Virgilium verò eo solum errasse nomine, quòd narrationem Aeneæ partitus sit in libros duos, quæ tam longa non est, vt audiri tota, & pronunciari vna tantummodo recitatione non possit. Hæc ille tamquam è Cortina.

Sed dici vix potest quantum aberret à vero. Ponit quippe sine testimonio, atq. auctoritate maiorum, poëtas, & ipsos Epici carminis auctores antiquos partitos fuisse libros eosq. recitasse; quod falsum est. Hanc enim curam sibi postea sumpserũt ij, quos appellarunt Rhapsodos, hoc est carminum sutores, cantoresue; quos propterea sic dictos accepimus, quòd Homeri, aliorumq. poëtarum opera temere sparsa, & diuulsa cõsuere quodammodo primùm, & compingere, deinde in partes aliquas diuidere certas ausi sunt, quas commodè recitare, aut canere possent, cum alijs in locis, tum verò præsertim, ac maximè in conuiuijs Principum.

Aliqui auctorem faciunt huius diuisionis, & Rhapsodiæ Pisistratum. Sed hunc ait Aelianus in iij. var. hist. vniuersa tantum Homeri opera confusa, & perturbata in Iliadem, atq, in Odysseam tamquam in duo corpora digessisse. Suspicari potius libet, auctorem fuisse Pisistrati filium Hipparchum: quem testatur idem Aelian. in libro viij. versus Homeri Athenas importasse primum, & Rhapsodos instituisse, qui eos canerent in Panathenaicis. Quos oppidò Rhapsodos videmus consecutis temporibus appellatos etiam fuisse ῥαβδούχους, & ῥαβδωφοὺς, à virga, siue bacillo, qui dicitur Græce ῥάβδος. Prodibant quippè Rhapsodi recitaturi cum scipionibus, & quidem variè coloratis. Nam qui profitebantur Iliadem, gestarunt rubrum, ad indicãdas cædes militum, & cruorem: qui Odysseam, croceum: quòd eo colore apud antiquos significarentur exules, & errantes. Quin etiam ante hos Hipparchi Rhapsodos aliqui præterea fuisse videntur Homerici carminis recitatores: cum memoriæ prodiderit Aelianus in eodem lib. iij. multo iam ante fuisse Homeri carmina distracta, & discerpta, quæ canerent illi prisci particulatim: vt pugnam ad naues, nauium catalogum, Patrocli parentalia, Telemachi peregrinationem, nauigationem Vlyssis, &c. quæ postea collegerunt, consuerunt, & diuiserunt melius ipsi Rhapsodi.

Ceterum haec nihil ad nos, qui de his auctoribus haud laboramus, modo compertum illud sit; poëtarum libros eos feciſse, ac diuisisse, qui iustam recitationem, concentionemq. sibi seponere voluissent. Hinc enim sequitur, non esse reprehendendum Homerum, aut alios poëtas antiquos ob eam partitionem, quam ipsi non fecerunt. Quod si Rhapsodi illi virgatores male, ac præter rationem diuiserunt opera poëtarum, ipsi plectendi suis virgis sunt, ac parcendum poëtis, qui eam curam, prouinciamq. alijs permiserunt.

De

De Virgilio verò, quamquam non habeo, cur confirmem, Rhapsodis fuisse datum negotium, vt Aeneida diuiderent in libros, quos in conuiuijs canerent, exploratum tamen esse, ac certum puto, Virgilium ipsum de recitatione, ac cantu non laborasse. Neque enim Epicum carmen ea gratia scribitur, vt recitetur, quemadmodum scribuntur dramata. Itaque sequutum eum esse dixerim Homerum, totumque illud Aeneidos opus sine librorum partitione coagmentasse. Eos autem, qui vel recitare, vel canere Virgilij versus ad citharam vellent, eandem, quam videbant iam placuisse Rhapsodis Homericis, retinuisse diuisionem. Cantoribus enim opportunius erat Aeneæ narrationem bipartitò diuidere, quàm totam recitare simul, aut canere.

LOCVS II.

DE CLASSE, SVB ANTANDRO adornata,

An ea molitio verosimilis sit.

Postquam res Asiæ, Priamiq. euertere gentem
Immeritam visum superis, ceciditq. superbum
Ilium, & omnis humo fumat Neptunia Troia,
Diuersa exilia, & desertas quærere terras
Augurijs agimur Diuum, classemq. sub ipsa
Antandro, & Phrygiæ molimur montibus Idæ

Classis hæc viginti constabat nauibus, vt apud Didonem testatur Aeneas.

Bis denis Phrygium conscendi nauibus æquor.

Quo magis admirabile videtur esse Casteluitro, quì potuerit Aeneas tam citò, tam magnam classem, tam prope hostem, vt Græcorum arma vndique circumsonarent, ipsa dèmum adhuc fumante Troia, moliri. Putat ergo ex eo genere peccatorum hoc esse, quæ ab Aristotele in cap. xxij dicuntur ἄλογα, hoc est figmenta à ratione aliena, minimeque decentia.

Sed nobis Aristoteles ipse eodem in loco aliquam fortassis ad defensionem aperiet viam. Affirmat enim ille quidem errata quædam esse poëtarum grauia, eaque dici debere ἄλογα: sed docet etiam, interdum sic esse poëtis condonanda, quemadmodum condonamus Homero, quòd

quòd Vlyſsem è Corcyra remittat Ithacam conſopitum, ac dormientem, faciatque Phæacenſes vectores ab Alcinoo datos eundem Vlyſſem exponentes in Ithacae littus item ſopitum, ac plane ſolum, cum muneribus Regijs, eumque inſalutatum è veſtigio relinquentes. Hæc, inquam, Ariſtoteles ipſe ait eſse ἄλογα, & præter rationem omnem, fidemque confingi: cum credibile non ſit, Ithacæ Regem, tam honorificè paulò ante ſuſceptum, ita negligi demum, & exponi, eo maximè tẽpore, quo illi multo maximè præſidium erat aliquod aduerſus procos neceſsarium. Nihilo minus tamen Homerum liberat culpa, docetque, quicquid ibi abſurdum eſt, alio quodam bonorum genere compenſari.

Itaque licebit etiam nobis abſoluere culpa Virgilium: cum multò magis credibilia ſint quæ de comparata repente claſse comminiſcitur ipſe, quàm quæ in expoſito Vlyſse fingit Homerus. Neq. enim, cum ait Virgilius, Aeneam claſsem illam eſse molitum adhuc fumante Troia, ſignificat etiam, eadem fumante illicò diſceſſiſse. Potuit enim in Antandro aliquo tempore facilè commorari dum Græci colligendis ſpolijs, reficienda claſse, partienda præda, gaza Troianorum nauibus imponenda, opperienda demum commoda tempeſtate occupabantur. Quod ſi ne tempus quidem iſtud tam multis moliendis nauibus ſatis eſse videatur, illud animo reputemus, quod eſt in lib. Aeneid. ix. eas Aeneæ naues ex arboribus textas ſacris fuiſse, conceſſu & beneficio Cybeles, quæ veniam dedit, vt ex Idae monte ſuccideréntur.

Pinea ſilua mihi multos dilecta per annos,
Lucus in arce fuit ſumma, quo ſacra ferebant,
Nigranti picea, trabibuſq. obſcurus acernis.
Has ego Dardanio iuueni, cum claſsis egeret
Læta dedi, &c.

Quapropter in ea molienda claſse aliquam interceſſiſse machinam intelligere debemus, & Deorum opem interueniſse: quia veroſimile non eſt, Cybelem eam tantummodo ſiluam Aeneæ dediſse, nec eum fabricandis, & componendis nauibus adiuuaſse. Quo fit, vt ſi huius machinæ, diuinæq. opis rationem habeamus, id quod alioqui videtur ἄλογον, atque abhorrens à ratione, quaſi quodam medicamento curetur, & deleatur. Hanc enim ait ibidem Ariſtoteles eſse cauſam, cur illud erratum Homero condonandum ſit; quòd nimirum eiuſmodi figmentum abſurdum quibuſdam veluti condimentis aſpergat, deleatq. iucunditate fabulæ quicquid alienum à ratione confingit. Illa, inquit, quæ de Vlyſse dicuntur expoſito, toleranda nõ eſsent, ſi ab aliquo malo poëta tractata fuiſsent. Sed Homerus alijs planè bonis abſurda compenſat, ac delet; & quicquid abhorrens à ratione videtur, tamquam medicamentis, & quibuſdam quaſi condimentis aſpergit. Quæ nã verò

sint condimenta illa, quæ medicinam absurdo faciunt episodio pluribus ibi docent Interpretes; Victorius præsertim, & Casteluitrus. Sed ijs prætermissis, quod ad Virgilium attinet, satis nobis est, receptũ habere ad machinã illam, & opem Berecynthiæ, tamquã ad medicamentum longè præsentissimum, quod facere sine dubio possit, vt quicquid in ea molitione verosimile non est, obliteretur, ne cicatrice quidem, aut vulneris aliquo vestigio relicto. Si quis enim contendat, tempus illud, quo Græci occupabantur in colligenda præda, non esse satis fabricandæ classi, habet cur credat esse satis ob eam machinam, & præsidium Deæ, quæ repræsentare facilè potest, atque anticipare quicquid à mortalibus operam multam, & temporis diuturnitatem efflagitet.

LOCVS III.

DE SACRIFICIO AENEAE in Thracia.

An ritè peractum sit, & ex lege Sacrorum.

Sacra Dionææ matri, Diuisq. ferebam
Auspicibus coeptorum operum. superoq. nitentem
Cœlicolum Regi mactabam in littore taurum.

Euangelus apud Macrob. in libro iij. cap. x. Virgilium accusat insciitiæ, quòd Pontificij videlicet iuris ignarus nesciuerit, apud antiquos lege cautum, ne Ioui taurus immolaretur. Sic enim Atteius Capito in iib. primo de iure sacrificiorum scripserat. Ioui, Tauro, Verre, Ariete immolare non licere. Quin Labeo rerum sacrarum scientissimus ante docuerat, taurum nisi Neptuno, Apollini, Marti non immolari. His, inquam, auctoribus institutus Euangelus ille, Virgilium existimat ignarum eius fuisse religionis, ac propterea reprehensione doctorum hominum esse dignissimum.

Sed nos haud possumus melius Virgilio patrocinium dare, quàm quod eodem loco aduersus Euangelum Macrobius ipse subtexuit. Ait enim, poëtam sapientissimum Virgilium non ignorasse Pontificium illud ius, & ritum sacrorum, id quod ipsemet demonstrat cum alibi canit.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcher Apollo:

sed artificiosè hic, & de industria Aeneam inducere sacrificantem Ioui taurum, litantemq. victimam alienam, quia consequi debet prodigium illud, ac monstrum horrendum ad tumulum Polydori.

Hor-

Horrendum & dictu video mirabile monstrum.
Nam quæ prima solo ruptis radicibus arbos
Vellitur, huic atro liquuntur sanguine guttæ,
Et terram tabo maculant, &c.

Nam vitio sacrificari, si Ioui taurus immoletur, docet idem Atteius Capito: qui aduersus Maronem in acie collocatus ab Euangelo fuit. Hæc enim verba prioribus illis adiecit. Si quis forte Ioui tauro fecerit, piaculum esto. Non igitur ex ignoratione sacrorum mactatur taurus; sed vt locus detur monstro, ac prodigio futuro: quod consecutum est, quia Ioui præter leges, & vitio litatum fuit.

Probat hanc patrocinij rationem etiam Seruius cum ait, Ioui, cui soleret immolari iuuencus, mactatum fuisse dedita opera, & ex industria taurum, vt crederetur, ex illo errore, ac sacrificij vitio consecutum esse prodigium Polydori, sanguinem fundentis è virgulto, exclamantisq. de tumulo. Quare poterit huic loco patrocinium dare quinta defensio in Prolegom. expositа: vbi diximus ex Aristotele intuendas esse peristases, hoc est circumstantias, cum aliquid videtur esse perperam excogitatum. Inter peristases autem præcipuum debet esse tempus, & id cuius gratia. Cum ergo tempus & finis poëtæ propositus illud postularet, vt aliquid fingeretur factum præter morem sacrorum, nõ est accusandus Virgilius, sed cum admiratione suscipiendus, quòd tam lynceus sit, & tam callidè circumspiciat singulis in locis vniuersa. fingit enim hæc boni maioris gratia, vt de fine ibi loquitur Aristoteles, atque vt temporis rationi consulat, & euenturo prodigio.

LOCVS IV.

DE MOBILITATE INSVLAE DELI.

Vera ne sit; an verosimiliter excogitata.

Sacra mari colitur medio gratissima tellus
Nereidum matri, & Neptuno Aegaeo.
Quam pius Arcitenens oras, & littora circum
Errantem Micone celsa, Gyaroq. reuinxit,
Immotamq. coli dedit, & contemnere ventos.

Cum hic significet haud dubie Virgilius, Delon siue Ortygiam Insulam fluitasse olim errabundam in mari, ac demum cõstitisse, ab Apolline videlicet, ac Diana redditam immobilem, cum ibi nati ex Latona sunt, ac sub oliua depositi, vt canitur à Catullo in carm. sæculari: cum hæc inquam ijs versibus poëta significet, videndum est, quærendumq. num id, vel fingere, vel probare per leges poëticæ licuerit, quæ iubent

poëtam, vt est apud Aristot. in cap. primo, à verosimili non discedere. Non enim credat quispiam, Insulam esse vllam, quæ natura moueatur in aquis, & tamquam nauicula fluctuet.

Sed si paucis, & quam breuissimè de quæstione decernendum sit, fidenter ego dicam, ac verè, fas fuisse Virgilio fabulam illam, aut excogitare, aut probare iam excogitatam: idoneamque comminiscendi, aut probandi causam eum habuisse ab ipsa natura. Nam Plin. lib. ij. cap. xciv. aliquas esse terras affirmat, quæ ad ingressum peditum, equitumue tremant; in agro præsertim Reatino, & Gabiensi: & in cap. xcv. Insulas quasdam inueniri, quæ semper fluitent mobiles, ac vagantes. Quædam Insulæ, inquit, semper fluctuant, sicut in agro Cæcubo, & in eodem Reatino: in Vadimonis lacu, & ad aquas Cutilias opaca silua, quæ numquam die, ac noctu eodem loco visitur. in Lydia quæ vocantur Calaminæ, non ventis solum, sed etiam contis quò libeat impulsæ, multorum ciuium Mihtridatico bello salus. sunt & in Nymphæo paruæ, Saltuares dictæ, quoniam in symphoniæ cantu ad ictus modulantium pedum mouentur. In Tarquiniensi lacu magno Italiæ, duæ nemora circumferunt; nunc triquetrã figuram edentes, nunc rotundam complexu, ventis impellentibus, quadratam numquam. Hæc ita testatur Plinius, eademque confirmat Theophrastus in libr. iv. historiarum cap. xj. & Seneca lib. iij. Naturalium quæst. cap. xxv. qui præterea causam exponit, cur Insulæ tam magnæ sic supernatent aquis. Graue, inquit, & leue est non æstimatione nostra, sed comparatione eius, quo vehi debet. Itaque vbi aqua grauior est hominis corpore, aut saxi, non sinit id, quo non vincitur, mergi. Sic euenit, vt in quibusdam stagnis ne lapides quidem pessum cant; de solidis, & duris loquor. Sunt enim multi pumicosi, & leues: ex quibus quæ constant Insulæ in Lydia, natant. Ipse ad Cutilias natantem Insulam vidi. Alia in Vadimonis lacu vehitur, alia in lacu Stationensi. Cutiliarum Insula, & arbores habet, & herbas nutrit; tamen aqua sustinetur: & in hanc atque illam partem non tantum vento impellitur, sed & aura: nec vmquam illi per diem, & noctem in vno loco statio est; adeo mouetur leui flatu. Huic causa duplex est: aquæ grauitas medicatæ, & ob hoc ponderosæ; & ipsius Insulæ materia vectabilis, quæ non est corporis solidi, quamuis arbores alat. fortasse enim leues truncos, frondesq. in lacu sparsas pinguis humor apprehendit, ac vinxit. Itaque etiam si qua in illa saxa sunt, inuenies exesa, & fistulosa. His, quæ Seneca ita recenset, agrum addam Tiburtinum, vbi lacus est Insulis huiusmodi mobilibus refertus, non ita magnis illis quidem, sed quæ hominem, aut bouem ferant, quod ipse sic vidi, quemadmodum vidit Cutilias Seneca.

Quo-

Quoniam igitur aliquæ sunt in orbe terrarum Insulæ, quæ mouentur, & fluctuant, iure potuit, seu fingere, seu probare Deli mobilitatem Virgilius: cum præsertim eam rem testatam iam alij scriptis, monumentisq. reliquissent, vt docere videtur idem Seneca in lib. vj. natural. quæst. cap. xxvj. sed & mouetur Aegyptus, inquit, & Delos, quam Virgilius stare iussit:

Immotamq. coli dedit, & contemnere ventos.

Cum enim Virgilium dicit, poëtas intelligit vniuersè: quorum communi nomine canit Ouidius.

---------- Tempusq. fuit, quo nauit in vndis
Nunc sedet Ortygia.

Sed operæ pretium est cognoscere vnde fluxerit antiquorum poëtarum huiusmodi de Delo commentum. Hoc enim idem Seneca velut in tabula nobis ostendit; affirmans, aliquos fuisse scriptores, qui dicerent, Delum numquam terræ motibus concuti, aliquos contra, qui non modo quati vellent, sed traderent etiam nominatim circa Peloponnesiacum bellum tremuisse. Ita quippe, atq. his verbis loco laudato pergit de Delo narrare. Hanc Philosophi quoque, credula natio, dixerunt non moueri, auctore Pindaro. Thucydides ait, ante quidem immotam fuisse, sed circa Peloponnesiacum bellum tremuisse. Callisthenes alio tempore ait hoc accidisse. Sed Macrob. in lib. iij. cap. vj. ex eiusdem auctoritate Thucydidis alia omnia contendit. Delum, inquit, neque antea, neque postea hoc incommmodo vexatam, sed semper eodem manere saxo Thucydides historiarum lib. iij. docet. In hac dissentientium varietate scriptorum fas fuit antiquis poëtis, eos sequi qui dicerent, Delum Insulam terræ motibus obnoxiam fuisse maxime, & eos qui confirmarent desijsse postea solitis illis tremoribus quati. Et quoniam ipsis permissa fingendi potestas est, licuit ijsdem comminiscendo dicere, Insulam illam non modo tremoribus agitatam olim fuisse, quod est commune cum omnibus pene terris, sed instabilem, mobilemq. fluctuasse, quod de quibusdam traditum erat Insulis, adeoq. credibile videbatur. Quod si hæc fas fuit ita confingere, ac veris addere, cur non licuerit etiam dicere desijsse tandem aliquando per machinam, hoc est Apollinis, & Dianæ beneficio fluctuare? cum traderent historici à certo quodam tempore non fuisse amplius terræ motibus illis antiquis, tremoribusq. concussam. Quare nihil à Virgilio peccatum est, qui figmentum probauit antiquum, verosimile, ac prudenter excogitatum. Cum enim scirent mortales, aliquas Insulas esse natantes, credere facilè potuerunt, etiam Delum in Aegaeo fluctuasse, & quæ veterum superstitio erat, alicuius Dei beneficio constitisse.

LOCVS V.

DE ORACVLO DEORVM PENATIVM, & Heleni.

Quid in vtroq. reprehendatur à Criticis.

In hoc Aeneidos libro tertio bis Aeneas de rebus, vel futuris, vel abditis, longèque positis admonetur. primo quidem à Dijs Penatibus; qui sic canunt.

Mutandæ sedes, non hæc tibi littora suasit
Delius, aut Cretæ iussit considere Apollo.
Est locus, Hesperiam Graij cognomine dicunt,
Terra antiqua, potens armis, atq. vbere glebae.
Oenotrij coluere viri: nunc fama, minores
Italiam dixisse Ducis de nomine gentem.

Deinde ab Heleno; qui non de Italia solum, sed de Sicilia vaticinatur.

Læua tibi tellus, & longo læua petantur
Aequora circuitu. dextrum fuge littus, & vndas.
Hæc loca vi quondam, & vasta conuulsa ruina
(Tantum æui longinqua valet mutare vetustas)
Dissiluisse ferunt, cum protinus vtraq. tellus
Vna foret, &c.

In vtroque igitur oraculo Casteluitrus requirit à Virgilio prudentiam. Nam alienum à ratione putat, nec vaticinio consentaneum, Deos illos Penates, & Helenum diuinum ad famam confugere, quæ vulgauerit, eam Europæ regionem Italiam nũc dici, quæ olim à Græcis Hesperia, ab alijs appellata erat Oenotria; & Italiæ partem quondam fuisse Siciliam, quæ nũc abiuncta prorsus est, ac separata. Quamuis enim Aristoteles in cap. xxiij. veniam poëtis dederit, vt ad famam, vulgatosq. rumores confugiant, eam tamen illis impertijt propterea, quòd aliqua minimè norunt, nec facile possunt fidem à mortalibus impetrare, nisi dicant ea esse iam fama vulgata, & à maioribus tradita. Dij verò, vatesq. quid ignorant? quid necesse habent ad famam referre quæ confirmant, cum ea ipsi non modo intelligant & sciant, sed oculis propemodum intueantur?

Ne multis hic morer, inſpiciendum, primò puto quid ſibi velint Dij Penates cum canunt:

Nunc fama, minores
Italiam dixiſſe Ducis de nomine gentem.

Non enim tamquam rerum ignari (quod faciendum poëtis eſt, quoniam res ignorant) à fama teſtimonium petunt, cum aiunt [fama eſt] ſed exponunt, ac narrant Aeneæ quod & fama vulgauit, & ipſi ſciunt: neceſſe tamen non eſt eos de ſua ipſorum cognitione, ac ſciẽtia quicquam addere.

Helenus item, quam multa profert oracula rerum futurarum Apollinis inſtinctu, cuius eſt ſacerdos, & vates? profert tamen ea ſolum, quæ fatidicam illam vim efflagitabant. Sed quod de Sicilia confirmat non eſt tanti, vt diuinandi facultatem ad illud explicandum accerſere debeat. Itaq. ſatis habet ea de Sicilia referre, quæ potuiſſet Aeneæ quilibet alius ſine vllo inſtinctu Numinis aperire: atque ad famam confugit; nec Dei vim omnia intelligentis adhibet in ſermonem, quia neceſſe non eſt.

LOCVS VI.

DE SICILIAE AB RELIQVA ITALIAE parte diuulſione.

An fingi ſine machina, & Deorum interuentu debuerit.

Haec loca vi quondam, & vaſta conuulſa ruina,
(Tantum æui longinqua valet mutare vetuſtas)
Diſſiluiſſe ferunt. cum protinus vtraque tellus
Vna foret: venit medio vi pontus, & vndis
Heſperium Siculo latus abſcidit, aruaq. & vrbes
Littore diuctas anguſto interluit æſtu.

Quia Virgilius abſq. machina, & Deorum ope auulſam facit ab Italia Siciliam, videri poteſt alicui feciſſe parum ex inſtituto poëtico, quo iubentur auctores carminis ad ea Deos aduocare per machinam, quæ fieri naturæ vi, artiſq. beneficio non poſſunt. Vincetur itaque ab alijs fortaſſe poëtis in hoc genere Virgilius: qui cum viderent

non tantum à natura mari tributum esse impetum, ac vim, vt eam perrumpere queat terræ molem, ac partem, quæ Insulam efficiat ampliſſimam, cuiuſmodi Sicilia eſt., perfugium habuerunt ad Deos, dixeruntque à Neptuno diuulſam admoto tridente; quemadmodum docet Euſtathius interpres Dionyſij Afri, canitq. Claudianus in primo de raptu.

———— Trinacria quondam
Italiæ pars vna fuit: ſed pontus & æſtus
Mutauere ſitum: rupit confinia Nereus
Victor, & abſciſſos interluit æquore montes.

Placuit hæc ratio machinæ etiam ijs, qui dixerunt, Oceanum Abilam, & Calpen abſcidiſſe, eaſque fluctibus operuiſſe terras, vbi nunc mare mediterraneum eſt. Deos enim tam magno intereſſe voluerunt operi: finxeruntq. vt rem credibilem facerent, Neptunum aduerſa cuſpide patefeciſſe viam illam Oceano, eaque reſeraſſe clauſtra, quæ ante ab vtroq. illo monte penitus obſtruebantur. Hoc nimirum modo Valerius Flaccus exiſtimauit illud inauditæ rei miraculum eſſe populo proponendum.

—— Sic pelago pulſante reor, Neptunia quondam
Cuſpis, & aduerſi longus labor abſcidit æui,
Vt Siculum, Lybicumq. latus, ſtupuitq. frágore
Ianus, & occiduis Regnator montibus Atlas.

Placuit eadem machina Claudiano in ij. lib. de Raptu, cum perſuadere legentibus vellet, Olympum in Theſſalia Oſſæ quondam fuiſse coniunctum, ſed ab eodem, immiſso Peneo fluuio, diſtractum repente fuiſſe, atque diſiunctum.

Sic cum Theſſaliam ſcopulis incluſa teneret
Peneo ſtagnante palus, & merſa negaret
Arua coli, trifida Neptunus cuſpide montes
Impulit aduerſos. tum forti ſaucius ictu
Diſſiluit gelido vertex Oſſæus Olympo.
Carceribus laxantur aquæ, fractoq. meatu
Redduntur fluuijq. mari, telluſq. colonis.

Sed quamquam hæc ſapienter ab alijs ficta poëtis ſunt, iure tamen à Virgilio prætermitti potuit machina, & Deorum aduocatio; cum non modo à vulgaribus hominibus fieri poſſe credatur, vt mare ſua vi, accedente præſertim terræmotu, & diuturnitate temporis, aliquam terrarum conuellat partem, & Inſulas faciat, verum etiam tradatur à doctis ſcriptoribus id ita factum eſse, tum alijs in locis pluribus, tum verò etiam in Sicilia nominatim. Plinius enim diſertiſſimè docet, hoc modo eam Inſulam ab Italia, Cyprum à Syria, Euboeam à Boeotia fuiſse diremptas. Quin ait Ariſtoteles in ij. libro meteororum mare

ſubin-

subinde commutare locum,& littus suum : sic inquam, vt quà terra nunc patet, habitatur & colitur, multis sanè partibus occupata fuerit olim ab aqua ; quà stagnat nunc, & diffunditur mare, multis sanè locis olim terra patuerit, & populis,oppidisque frequentibus sit habitata.

Quæ profectò causa est, cur Homerus Pharum Alexandriæ Insulam à continenti diuisam fecerit, quam compertum habemus esse coniúctam. Tuetur enim eum à reprehensoribus Strabo,illo nomine, quòd Homeri ætate Pharus seiuncta esset, sed postea continenter, ac semper accedente terra, quam eò conuectat Nilus, marique recedente, coniuncta fuerit : idque confirmat ex Herodoti auctoritate, quem potissimum ibi testem profert ad defendendum Homerum. Ad hæc, Herodotus ipse ait se ab antiquis accepisse, mare olim supra Memphim vsque ad Aethiopiæ montes pertinuisse, & Strabo duos laudat Philosophos longè vetustissimos, Stratonem ac Xanthum : qui dicebant, circa templum Iouis Ammonis tribus stadiorum millibus iacere procul à mari passim, ac vbique marinas cocleas,ac testulas;è quibus conijci posset,ibi quondam mare fuisse. Scribit eadem Pomponius Mela de Numidia in Africa. Interius, inquit, & longè satis à littore (si fidem res capit) spinæ piscium,muricum,ostrearumq. fragmenta, saxa attrita, vti solent fluctibus marinis;infixæ cautibus anchoræ, aliaq. huiusmodi signa, atque vestigia effusi olim vsque ad ea loca pelagi in campis nihil alentibus esse, inueniriq; narrantur, &c. Quæ profecto faciunt, vt credam non omnino poëticè hoc est fictè ab Ouid. cani in lib.metam.xv.

Vidi ego quod fuerat quondam solidissima tellus
Esse fretum, vidi factas ex æquore terras,
Et procul à pelago conchæ iacuere marinæ,
Et vetus inuenta est in montibus anchora summis.

Immo verosimile reddunt quod canitur à Iouiano Pontano in meteoris de Oceano,quem verè putat inuasisse Abilæ, Calpisq. claustra, & terras illas intrasse penitus, quæ mediterraneo mari nunc operiuntur.

——————— Mutantur in aeuum
Singula,& incœptum alternat natura tenorem.
Quodq. dies antiqua tulit, hoc auferet ipsa.
Hoc mare,quod nunc ingenti duo littora tractu
Europam Lybiamq. secat,non fabula, quondam
Tellus vna fuit. medio stetit aequore taurus
Insudans sulco,atque attrito vomere fessus :
Nunc mersa tellure natat vento acta carina

Claudamus ergo disputationem,affirmantes,Virgilium necesse non habuis-

habuisse ad machinam ire; cum tam multi doceant Insulas complures impetu maris naturali factas esse, pluresque diuisas terras, quæ fuerant olim tractu perpetuo, aut montium propè iunctura commissae.

LOCVS VII.

CVR HVMILIS ITALIA dicatur.

Cum procul obscuros colles, humilemq. videmus Italiam, &c.

Mirantur aliqui adiunctum hoc, & epitheton insolens, quod à Virgilio tribuitur Italiæ, quæruntq. cur dicatur humilis, ac depressa, cum tam magnis, crebrisque sit distincta montibus, quorum multi etiam in ipsum mare longè procurrunt.

Duas proponit Seruius rationes, quas perpẽdere nos oportet, vt videamus an eius rei probabilem afferant causam. Ait igitur primò, humilem dictam Italiam, quia plana est, & mollis, laudatq. testem locupletem Sallustium, qui de Italia hoc affirmarit. Docet deinde physicum id esse, quod perstringit epitheto illo Virgilius. Nam è mari cernentibus humilis apparet terra, contraq. spectantibus è terra videtur altius mare. Neutra sanè ratio causam eius adiuncti tam inauditi, ac noui absolutè, perfectèq. demonstrat. Prima enim facit Italiam planam, & mollem, quæ montibus vbique distinguitur, & iugis altissimis. Secunda non ostendit, cur Italia dici potius humilis debeat, quàm aliæ terræ, quæ cernuntur è mari: omnes enim videntur humiles. Verissimè quippè dicitur à physicis terra depressior natura, & grauior esse, quàm aqua, sed vtriusq. tamen vna esse superficies extima, continua, atq. perpetua, idem vmbilicus, & centrum; sic prorsus, vt vnus ex vtraque orbis, & globus existat. Itaque tam terra, quàm aqua ipsa simul iuncta cum terra, leni, aequabiliq. tumore globosa est, & teres vndique. quo fit, vt ijs, qui sunt in mari, cum præsertim longè absunt à littore, humilis terra videatur ob illum aquæ tumorem, & altiorem superficiei totius globi partem, in qua positi sunt qui procul à terra nauigant. subsidente adeo paulatim altitudine illa, ipsi demum nautæ ad terram accedentes intelligunt se deceptos, nec aquæ superficiem altiorem esse, quàm terram. Verissimè inquam hæc dicuntur, & Physicæ congruenter. Sed inuenienda tamen est aliqua

qua causa peculiaris,& propria,cur eorum habita ratione,qui sunt in mari,nulla vnquam alia terra dicta sit humilis præter Italiam.

Mea ergo sic est ratio; dictam à Virgilio humilem Italiam, quia Troiani, qui ex Epiro nauigabant, eam Italiæ partem viderunt primùm,quæ planissima est, & expeditissima,hoc est Apulia illa,quã vulgo,ac populari lingua planam appellãt. Ea itaq. regio videbatur illud epitheton sibi propriè vindicare: quia si cum ceteris conferatur, quæ montibus,iugisq. perpetuis mare circumuallant, humilior,& depressior videbitur esse, quàm aliæ: præsertim è longinquo, vbi maior est aquæ tumor, & globosius mare. Nam quo propius accedas ad littus, hoc magis ille tumor decrescit, ac crescere videtur terra. Itaque dicitur paulo post.

---------- *Attollit se Diua Lacinia contra.*

decrescente nimirum illo maris tumore,terraque ipsa crescente propter montes magis, magisq. cernentium oculis apparentes. Neque enim ab hoc loco alienum est quod sæpe dicere poëtæ solent: id nimirum re ipsa esse, aut fieri, quod nobis esse, aut fieri videtur; vt in tertio canitur Aeneidos.

Prouehimur portu,terræq. vrbesq. recedunt.

Et in primo Georgicorum.

Sæpe etiam stellas vento impendente videbis
Præcipites cælo labi, noctisq. per vmbram
Flammarum longos à tergo albescere tractus.

Stellæ quippe non labuntur, sed labi videntur. Itaque satis hæc accommodata potest esse responsio: videri humilem Italiam, quamquam non est, adeoque vsitata loquendi forma id re ipsa esse,à poëta dici,quod tantum apparet, & videtur esse. peculiarem tamen habere causam Italiam, cur humilis appelletur à Virgilio; quia non vniuersam intelligi vult Italiam, sed eam partem,quæ prope mare omnium mollissima est, atque planissima: quod fortasse sibi voluit Seruius, non satis autem rem explicauit: cum toti adscripserit Italiæ quod soli dandum est parti.

LOCVS VIII.

QVID IN AETNAE DESCRIPTIONE reprehenderint aliqui.

Portus ab accessu ventorum immotus,& ingens
Ipse, sed horrificis iuxta tonat Aetna ruinis.

Inter-

Interdumq. atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla;
Attollitq. globos flammarum, & sidera lambit:
Interdum scopulos, auulsaq. viscera montis
Erigit eructans, liquefactaq. saxa sub auras
Cum gemitu glomerat, fundoq. exæstuat imo.
Fama est, Enceladi semustum fulmine corpus
Vrgeri mole hac, ingentemq. insuper Aetnam
Impositam ruptis flammam expirare caminis.
Et fessum quoties motat latus, intremere omnem
Murmure Trinacriam, & caelum subtexere fumo.

Nihil videtur his versibus elegantius, aut artificiosius fieri posse: inuentus tamen est Phauorinus apud Gell. lib. xvij. cap. x. qui contra sentiret. Aiebat enim in summa; Virgilium in hac descriptione tumidum, & insolentem esse ex praua quadam imitatione Pindari: quem dum conatur exprimere, orationis, inquit, adulterat fuco, non effingit. Cum igitur Pindari descriptionē Ætnæ protulisset, ita de Virgilio aggressus est dicere comparando. Audite nunc Virgilij versus, quos inchoasse eum verius dixerim, quàm fecisse.

Portus ab accessu, &c.

Iam principio Pindarus veritati magis obsecutus id dixit, quod res erat, quodq. illi vsu veniebat, quodq. oculis videbatur: interdiu fumare Aetnam, noctu flammigerare. Virgilius autem dum in strepitu, sonituq. verborum conquirendo laborat, vtrumque tempus nulla discretione facta confundit. Atque ille Graecos quidem fontes imitatus, ignes eructare, & fluere amnes; fumi, & flammarum fulua, & tortuosa volumina in plagas maris ferre quasi quosdam igneos amnes luculentè dixit. At hic noster atram nubem turbine piceo, & fauilla fumantem ῥέον καπνοῦ ἄιθωνα interpretari volens, crasse, & immodicè congessit. Globos quoque flammarum duriter transtulit. Item, sidera lambit, vacanter hoc etiam, & inaniter. Neque non id, quod inenarrabile esse ait, & propemodum insensibile, quòd nubem atram fumare dixit turbine piceo, & fauilla candente. Non enim fumare solent, neque atra esse quæ sunt candentia. Quòd saxa autem, & scopulos eructari, & erigi, eosdemq. ipsos statim liquefieri, & gemere, atque glomerari sub auras dixit, hoc nec à Pindaro scriptum, nec vmquam fando auditum, & omnium quæ monstra dicūtur, monstrosissimum est. Hæc Phauorinus apud Gellium differit. Quæ multis conatus est confutare Iouianus Pontan. in Anton. sed parum feliciter. Ingeniosius autem, & planius, & breuius pro Virgilio dixit Iulius Scaliger in lib. v. poëtices, quem Criticum inscribit cap. iv. Distribuit enim principio in capita omnino quatuor ea, quæ calumniosè dicuntur à Phauorino:

deinde

deinde particulatim, vel irridet, vel diluit rationibus singula.

Reprehensionis illa capita quatuor hæc sunt. Primum à Pindaro rem ita, vt est, esse descriptam: Aetnam nimirum fumare interdiu; noctu flammas edere. à Virgilio ea tempora esse confusa.

Interdumq. atram prorumpit ad æthera nubem
Turbine fumantem piceo, & candente fauilla,
Attollitq. globos flammarum.

Huic autem accusationis capiti sic respondet: rectius à Marone fumum, ac flammam simul in altera parte, in altera verò saxa liquefacta posita esse. Nam re ipsa fumum, ac flammam simul fundit. Noctis autem vitio fit, vt fumus non videatur è longinquo, sed tantum flamma: & diei claritudine impediuntur oculi, quo minus aspicere flammas possint.

Secundum caput est. ῥόον καπνοῦ, & ποταμὸν, riuum, seu fluuium fumi, quod est apud Pindarum, non rectè Virgilium latinè reddidisse, cum dixit globos. Hanc verò tam leuem reprehensionem irridens Scaliger, ait noluisse Virgilium hoc loco interpretem agere, sed auctorem: poterat ille quidem facilè dicere flumen, sed non placuit: quia melius ei vocabulum, ac significantius occurrit. Nam si flammarum ex Aetna prodeuntium volumina intuearis, non fluuio labenti compares, sed globis rerum implicatarum. Cuius sanè rei ratio subest naturalis. Impetus quippe erumpentis flammæ non potest tenore perpetuo oppositum, in quem subit, aërem scindere: conuoluitur itaq. per repressionem.

Tertium caput non iam accusationem, sed calumniam vocat, & impudentiam. Audet enim Phauorinus dicere, piceam nubem non cohærere, aut congruere cum fauilla candente. Ait autem esse hanc impudentiam; quia videt, Phauorinum putasse à Virgilio dictam esse fauillam candentem, quasi synonimon fumi. Quod si dixisset, pugnantia sine dubio locutus esset. Neque enim fumus candens, hoc est, ardens, siue relucens, aut albus est, sed obscurus. Non ita Virgilius insanit, sed vult à nobis intelligi fumum eructari mistum candente, hoc est, ardente fauilla. Duo itaq. sunt quæ simul extruduntur ab Aetna, fumus, & fumo permista candens fauilla.

Restat quartum caput. cuius summa est. Pindarum non dixisse eructari saxa. Hic verò non iam amplius irridens, sed indignabundus ita respondet patronus Virgilij Scaliger. Quid tum postea? quasi verò Græculorum famuli simus, ac non emendatores.

LI-

LIBRI QVARTI AENEIDOS

LOCVS PRIMVS.

DE ATLANTIS DESCRIPTIONE.

AN EA DIGRESSIO superuacanea sit.

---- Iamq. volans apicem, & latera ardua cernit
Atlantis duri, caelum qui vertice fulcit;
Atlantis, cinctum assiduè cui nubibus atris
Piniferum caput, & vento pulsatur, & imbri.
Nix humeros infusa tegit; tum flumina mento
Præcipitant senis, & glacie riget horrida barba.
Hic primum paribus nitens Cyllenius alis
Constitit. hinc toto præceps se corpore ad vndas
Misit, aui similis, &c.

HANC Atlantis descriptionem Casteluitrus in earum digressionum numero ponendam putat, quæ damnantur ab Aristotele, dicunturq. fabulam episodicam facere. Aristotelis verba, quæ de his in poëtices octauo capite habet, hæc sunt. Ceterum simplicium fabularum, actionumue episodicae quidem sunt deterrimæ. Episodicam autem eam appello, in qua neq. verosimiliter, neque necessariò episodia mutua connectuntur. Hunc, inquam, locum Aristotelis cum tractat, & illustrat exemplis Casteluitrus, affirmatè pronunciat,

eam

eam Atlantis descriptionem ab hac Aristotelis censura vindicari non posse. Non enim vlla, inquit, postulabat necessitas, vt Mercurius è caelo delapsus, & Carthaginem petiturus, in Atlantem prius, quàm Carthaginem ipsam aduolaret: nec verosimile videtur, Deum illum volucrem, alatumq. sic properantem, quemadmodum iussus erat à Ioue, voluisse in Atlante subsistere: cum præsertim volando non defatigaretur. Sed fac esse verosimile: quorsum pertinet illa descriptio tam putida? Loca enim describuntur in eam gratiam, vt facilius, ac plenius quod ibi gestum est intelligamus. At cum nihil in eo monte geratur, quod ad principem fabulam, hoc est ad Æneæ in Italiam aduentum pertineat, illæ niues, flumina, siluæ, quæ tam diligenter exprimuntur nullam afferunt rerum nouam agnitionem, cuius causa descriptiones fieri, & adhiberi ab auctoribus solent.

Differit ille Censor in hunc modum: sed multis hallucinatur ex causis. Principio enim existimat, Aristotelem cum de necessarijs loquitur episodijs, id necessarium dicere, sine quo res consistere tractariue nullo modo queat. Quod si sibi ille voluisset, nullum propemodum esset episodium, quod à poëtarum actionibus diuelli, ac separari citra fraudem, damnumq. non posset. Liceret ex Odyssea demere conuiuium apud Alcinoum, Gigantes in Aetna, Syrenum concentum in mari Tyrrheno, alia. liceret ex Aeneidos primo libro tollere Veneris occursum, narrationem excidij Troiani ex secundo, Polydori prodigium, & Harpyias ex tertio; ex alijs libris infinita, quibus planè diremptis consisteret nihilominus actio, quæ Vlyssis in patriam reditu, Aeneæ in Italiam aduentu tota continetur, & clauditur. Quæ cum ita sint, id mihi videtur Aristoteles, cum episodia quædam necessaria nominauit, significare voluisse: aliquod interdum episodium ita requiri, itaque in rem, qua de agitur, conuenire, vt necessarium non quidem sit, sed esse videatur. Huiusmodi fortassis est in quarto libro illa famæ descriptio: sine cuius officio, quod clam, & sciente nemine gestum à Didone fuerat, vulgari non poterat. Appellat autem huiusmodi episodia necessaria, vt à ceteris differentia faciat, quæ non tam requirit ipsa fabulæ institutio, quam aliqua rerum verisimilitudo ad oblectationem legentium accersitarum. Quo de genere hoc videtur episodium esse, Atlantisq. hæc descriptio, quæ ab isto superuacanea dicitur; cum omnino superuacanea non sit. huiusmodi quippe digressiones similes sunt minimis quibusdam in corpore partibus, quæ vt necessariæ prorsus animanti non sint, alijs tamen adiunctæ magis necessarijs, ipsum absoluunt, atque perficiunt corpus.

Itaque facilè dederim huic homini, nihil fuisse necesse, Mercurium ad Atlantem prius, quam Carthaginem conuolare, quia sine illo diuerticulo stabat fabula, suisq. partibus apta fuisset. sed contendam

tamen,

tamen,id fuisse maximè verosimile; quod probabilius,& laudatis episodijs ex Aristotele satis est.Non enim ait coniunctim episodia debere necessaria esse,ac verosimilia,sed disiunctim, vel necessaria,vel saltem verosimilia. Verisimilitudo verò maxima huius episodij spectari potest ex eo,quòd ab Atlante auo stirpem duceret Mercurius, atque in Africam,vbi Atlas est,allegaretur à Ioue. Hinc enim fit, vt maximè sit verosimile ad auum illum maternum ex itinere officij causa eum diuertere voluisse : cum præsertim id sæpe facere solitus esset Mercurius è cœlo descendens, & Atlante quibusdam quasi scalis vti consueuisset assiduè,vt testatur ex fabulis Sidonius Apollinaris.

Iamq. vt conueniant superi Tegeaticus Arcas
Nunc plantis,nunc fronte volat:vix contigit arua,
Et toto descendit auo.

Itaque nulla defatigatio fuit,quæ Mercurium resistere cogeret in itinere, sed officium in auum Atlantem, quemadmodum ipse videtur hic indicare Virgilius,cum ait in digressu Mercurij ex Atlante,

Materno veniens ab auo Cyllenia proles.

Quòd si quispiam id etiam contendere voluerit, Mercurium fessum de via,in eo monte, qui proximus occurrebat in Africa,insidere, ac quiescere debuisse, nihil affirmabit, quod antiquorum superstitionibus aduersetur. fecerunt enim illi Deos suos non defatigatos modo, sed sudantes etiam in bello, & vulneratos.

Sapientissimè itaque Virgilius ad Atlantem digreditur, quò Mercurius tam sæpe deflectere solitus erat ex itinere,vt non posset eò non contendere,cum per Mauritaniam Carthaginem versus iter haberet, nisi vellet à consuetudine, atque ab officio in auum antiquo sine consilio,ac ratione discedere. Quæ ratio tantum ponderis habet, vt hoc episodium non verosimile modo, verum etiam necessarium facere posse videatur.

Sed quoniam seuerus hic Censor etiam in necessarijs, aut verosimilibus episodijs nihil vult poëtas describere, nisi quod earum inseruiat cognitioni rerum,quæ in descriptis gerũtur, & tractantur locis, docere postremò debemus, quem vsum habeat illa tam diligens expressio rerum,quas in Atlante describit Virgilius. Vt enim maximè verosimilis illa Mercurij descensio in Atlantem sit, erat tamen satis fortasse dicere,eum descendisse. Quid igitur necesse fuit addere tam multa;& singula,quæ sunt in monte,putide describere?

Breuissimè sanè respondeꝛim & dilucide;Casteluitrum non quidem ignorare (est enim scientissimus) sed oblitum esse causam cur à poëtis excogitata episodia sint:nos verò in mẽtem illi redigemus ex Suida,qui sic episodium definit. τὸ εἰς φερόμενον τῷ δράματι γέλωτος χάριν· ἐξω τῆς ὑποθέσεως ὄν. est quod adiungitur dramati,delectationis, & voluptatis gratia

gratia præter institutum, & propositum argumentum. Ex hac enim definitione intelliget, episodia poëtarum esse liberiora, quàm vt intra leges illas includi debeant, quibus teneri vult descriptiones locorum. Historijs quippe non licebit describere, nisi ea loca, in quibus aliquid gestum est eius rei, quæ narratione comprehenditur, & in ijs describendis tantum ob oculos ponere legentium quæ momenti aliquid afferunt ad eas melius, quæ ibi gerũtur, res intelligendas. Sed poëtis ea necessitas, & lex imposita non est: cum amœna diuerticula consultò quærant ad captandam voluptatem, vt episodiorum ipsis definitio veniam dat. Cum enim hæc excogitata sint in eam gratiam, vt poëticæ propositam afferant, & pariant iucunditatem, expressiones admittunt aliquarum rerum, quæ nullam habent cum gestis gerendisue negotijs coniunctionem: qualia plane sunt ea, quæ tam obseruatè in Atlante ipso distinguuntur; niues, aqua, flumina, glacies, arbores, aliaque ex illo genere complura, nihil quidem ad rem pertinentia, sed legentis animum haud mediocri sensu voluptatis afficientia.

LOCVS II.

DE DRACONE PERVIGILI ad Hortos Hesperidum.

An ali papauere debuerit.

Oceani finem iuxta, Solemque cadentem
Vltimus Aethiopum locus est, vbi maximus Atlas
Axem humero torquet Stellis ardentibus aptum.
Hinc mihi Massyllæ gentis monstrata sacerdos,
Hesperidum templi custos, epulasque draconi
Quæ dabat, & sacros seruabat in arbore ramos,
Spargens humida mella, soporiferumque papauer.

Didonis hæc verba sunt, sacrificium magicum, ad fallendam sororẽ, adornare se simulantis, quod à sacerdote Virgine, hortorum Hesperidum custode didicisset. Sed difficultatem, ac negotium facessunt inexplicabile doctis viris, ipsi etiam Seruio, ea, quæ ad extremum de Draconis illis epulis somniferis maximeq; soporiferis adiunguntur.

Spargens humida mella, soporiferumque papauer.

Cum enim Draco eorum sit hortorum custos, non debet ali melle, atque papauere, quæ somnum conciliant, faciuntque, vt excubitor ille suo fungi munere non queat.

Sunt qui ad nodum explicandum varia conquirant exempla, & loca poëtarum similia, vbi multa multis tribuuntur rebus, quæ parum

ijs conuenire, ac congruere videntur. Ac primo quidem Euripidem proferunt in Troadibus, vbi ait Chrathim fluuium capillis inducere colorem flauum, ὁ ξανθὰν χαίταν πυρσεύων χράθις, Chrathis flauam faciens comam. Id autem falsum esse vincunt ex Theophrasto in Thurijs, affirmante, album ab hoc fluuio colorem dari, non flauum. Sic enim de eo loquitur Plin. in lib. xxx. cap. ii. Theophrastus in Thurijs Chrathim candorem facere tradit. Proferunt secundo loco illum Ouidij versum.

Nigrior ad Pharij confuge piscis opem.

vbi nimirum amatoribus fuscis, & colore subnigro præditis id consilij dat, vt ad piscem Aegyptium confugiant, hoc est, ad Crocodilum. Erat enim in more positum apud feminas, vt ad fucandam, medicandamq; coloribus aduentitijs faciem vterentur fimo Crocodili. id quod carpit Horatius ode xii. Epod.

Iam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus Crocodili, &c.

et Clemens Alexandrinus in iii. libro Pædag. cap. 11. Antiphatem Comicum laudans, in illud feminarum eo se fimo fucantium studium sic inuehentem. Quæ Crocodilorum purgamentis vtuntur, & spuma sepiarum inunguntur, & supercilia fuligine illinunt, & fuco genas terunt. At compertum habemus ex Galeno in libro x. de facult. simp. illud faciei medicamentum, non quidem ab aquatico Crocodilo, qualis Agyptius, ac Niliacus est, sed à terrestri petitum fuisse. Ita quippe rem testatam tradit nobis eo loco Galenus. Ceterum terrestrium Crocodilorum, inquit, hoc est, exiguorum, & humi serpentium fimum pretiosum fecere mulieres delitiosæ: quibus non satis erant alia medicamenta tam multa, quibus faciei cutis extenditur, & splendescit, nisi etiam Crocodilorum fimum adiunxissent. Ad hunc ipsum terrestrem Crocodilum referunt illud medicamentum Paulus Aegineta in lib. vlt. & Oribasius in secundo de virtute simplicium. Itaq; planè licet intelligere, Ouidium ea tribuisse Niliaco Crocodilo, quæ tantum abest, vt in eum conueniant, vt contrariam omnino vim illi tribuerit Paulus Aegineta; diserte confirmans, eius Crocodili, qui degit in Nilo fimum albedinem, & candorem imminuere. Tertio loco Statium volunt suffragatorem lib. Siluar. v. in protrept. ad Crispinum. quem sic alloquitur, atque ad vestigia sectanda parentis hortatur.

-------- Tu disce patrem, quantusque natantem
Fluctibus occiduis, fessoque Hyperione Thulen
Intrarit &c.

Vbi nimirum Thulen Insulam audet facere natantem, & fluctuantem Cyaneis similem, Symplegadibus, Delo, alijsq; de quibus in superiore li-

re libro disputauimus. Sed Thulę stabilis semper est habita, nec inter eas à quoquam numerata, quæ mouentur, & natant.

Ex his inquam poëtarum exemplis petere se aliqui posse certum præsidium putant ad ea purganda, quæ de Draconis cibatu finguntur contra quam fingi, aut dici debuissent. Sed longè falluntur. Nam præterquam quod dicere possit aliquis, poëtas illos omnes haud minus peccasse, quàm peccarit hoc loco Virgilius, exempla ipsa, quæ protulerunt; videntur esse parum accommodata, nec rei, qua de agitur, omnino congruere.

Nã primo quidem quod attinet ad Chrathim fluuium, alios ego testes habeo, qui dicant, eius reddi aqua pilos animantium flauos, qualis est Lycophronis interpres in Cassandra. Chrathis, inquit, Italiæ fluuius est, flauos eorum efficiens pilos, qui eius aqua diluuntur. Sic enim docet Hesigonus historicus, Socion, & Agathostenes philosophi. Hæc tradit eo loco Interpres ille bonus ac doctus, hosq; laudat auctores graues, & sapientes. Quorum similia sunt apud Theocriti Scholiastem his verbis expressa. Nymphodorus, & Theophrastus, inquit, affirmant, Chrathidis aquam candorem inducere. Atque hos sequutus Ouid. in xv. metam. ita canit.

Chrathis, & hinc Sybaris vestris conterminus oris
Electro similes faciunt, auroque capillos.

Non igitur huic flumini ea tribuit Euripides, quæ illi conuenire non possint: cum tantorum auctoritate scriptorum edoctus, facilè possit poëta ijs contraria canere, quæ traduntur ab alijs. At nemo est, qui, non dicam, affirmet, vigilantiam ali papauere, sed qui non doceat somnum eodem papauere vigilantissimis etiam custodibus conciliari. nulli ergo res quæ canitur à Virgilio verosimilis est.

De Ouidio non possum equidē idem affirmare: sed illud habeo dicere, secutum eum fuisse celebrem, & communem famam, quæ vulgauerat vniuersè, Crocodili fimo feminas oblinere faciem solitas: vtrum verò Crocodili terrestris, an aquatici fimus is esset, quo medicaretur facies, vulgò ignorabatur. At licere poëtis pro arbitratu pronunciare de rebus, quæ vulgò notæ non sunt, aut in ijs, quæ parum sunt cognitæ aliquid comminisci, & sequi vulgarem famam, diximus alibi ex Aristotele: idq; ausus est aliquando Virgilius in Ecloga sexta vbi Scyllam Nisi pro Scylla Phorci fecit mare Siculum occupantem. Quamquam enim hæ duæ Scyllæ variæ sic sunt, atque inter se distinctæ, vt Scylla Nisi conuersa dicatur in auem, Phorci vero in scopulum illum naufragijs infamem, & canibus succinctum latrantibus: fama tamen vulgauerat, etiam illam Nisi Scyllam fuisse, quæ conuersa esset in scopulum, & canes illos circum allatrantes. Ipsum Virgilium audiamus, dicentem, omnino sequi se famam quæ de Scylla Nisi ea

prodidisset in vulgus, aliquot auctoribus fabularum reclamantibus.

Quid loquar aut Scyllam Nisi, quam fama secuta est
Candida succinctam latrantibus inguina monstris
Dulichias vexasse rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus lacerasse marinis?

Famam item secutum puto Aristophanem in Auibus, vbi Progne non quidem in hirundinem, sed in luscinam conuertitur; contra quàm doceant fabulæ: famam eundem Virgilium in Georgicorum libro tertio, vbi Cyllarum Polluci dat.

Talis Amyclæi domitus Pollucis habenis
Cyllarus &c.

Qui tamen equus erat Castoris, non Pollucis: cum Pollux pugil tantummodo fuisse dicatur. famam, inquam, secutum esse poëtam puto: quia hoc etiam tradi à nonnullis video; Cyllarum vtriq; seruisse fratri, tam Castori, quàm Polluci. Ita sanè docet me Papin. Statius in libro Siluarum primo Silua prima de Domitiani equo illo canens, quem ita magnificè prædicat.

Et pauet aspiciens Ledæus ab æde propinqua
Cyllarus: hic domini numquam mutabit habenas.
Perpetuis frœnis, atque vni seruiet astro.

Significat enim equum illum Domitiani vni seruiturum sideri, hoc est, Imperatori, non duobus, vt Cyllarum: quo nimirum Castor ac Pollux inuicem vterētur. Docet ita me quoq; Pindarus in od. Olymp. iii. vtrumq; Tindarida equis insignem appellans. Quin Pindari Scholiastes nō est veritus vtrumq; sine vllo discrimine domitorē equorum nominare. Itaq; Virgilius non Pollucem pro Castore posuit, vt existimat Seruius, sed probauit famam, quæ Cyllarum vtrique subseruientem inuicem, atque alternis vtriusque sessoris patientem faciebat. Quapropter, vt reuertar ad Ouidium, de quo disputabam, cōmunem & generalem quodammodo famā eum sectatum esse dixerim, quæ de Crocodili fimo illud medicamenti miraculū dissiparat in vulgus. Cum enim vulgò nesciretur cuiusnam Crocodili fimus esset, qui faciei fucum illum suppeditaret, non aberrauit à poëtico verisimili, cum vnum pro altero nominauit. Diximus quippe aliàs non id semper esse poëticum verisimile, quod falso, veroq; est interiectum, sed id plerumq; quod falsum quidem est doctis, & sapientibus viris, populo tamen, ac multitudini credibile est. At nemo vulgarium hominum ignorat papauere soporem accersiri non euitabilem. nec fama vlla contrarium quicquam vmquam de somnifera illa papaueris facultate vulgauit. Nemini ergo credibile est, Draconem illum peruigilem ali papauere: adeoque testimonium Ouidij non tuetur Virgilium.

Restat vltimo loco Statius: qui omnium minime tueri Virgilium

auctoritate potest. Potuit quippè Statius eodem planè modo credibilem vulgo facere natatum, & mobilitatem Thules, insulæ tam longe distantis, quo credibilia redduntur ea, quæ vulgò planè cognita non sunt. Nam cum esset iam exploratum, multas in mari moueri Insulas, & fluctuare, facilè poterat vulgus credere, insulam illam penitus ab extremo diuisam orbe natare, & circumferri. Sed numquam credidisset papaueris succo vigilantem reddi belluam, cui hortorum Hesperidū data custodia esset. Potuit inquam Statius ita vt dixi verisimilē facere mobilitatem Thules: sed ea licentia non est abusus. nam plerique mendosam existimant esse scripturam illam, & sic restituendam contendunt.

------ *Tu disce patrem, quantusq. nigrantem*
Fluctibus occiduis fessoq. Hyperione Thulem
Intrarit, &c.

Atque ita nigrantem inueniemus eam insulam esse Statio, quam ipsi putabant esse natantem. Quam quidem emendationem ipse probabit, opinor, Statius: qui in quarto siluarum libro eandem Insulam appellat nigram.

Aut Rheni populos, aut nigræ littora Thules.

Nigram autem, vel nigrantem eam aliqui dictam existimant, quòd maximè distet à sole, & nubibus semper, caliginosoq. cœlo subiecta sit. quemadmodum contra Rhodus dicitur ab Horatio clara, quæ cœlo vtitur, & aëre sereno.

Laudabunt alij claram Rhodon;

Et à Lucano item clara.

------ *Gnidon inde fugit, claramq. relinquit*
Sole Rhodon.

Ea enim Insula rarò nubibus obducitur, vt testatur Solinus in lib. xxj. Numquam, inquit, cælum ita nubilum est, vt in sole Rhodus non sit. Et Plin. in Lib. ij. cap. lxiv. scribit, Rhodi & Syracusis numquam tanta nubila obduci, vt non aliqua hora sol cernatur, quod est etiam apud Tullium in vj. Verrin.

Referamus verò nunc disputationem in gradum, ponamusq. nullam nobis ab huiusmodi poëtis suppeditari rationem opportunā ad Virgilij causam asserendā. Itaq. alia insistendum erit via, & quidem ea, quā viri doctissimi per summā calliditatem aperuerunt. Petr. Vict. in primis ducē sequamur: qui in lib. Var. lect. iv. cap. iij. pulcherrimam earū epularum, quæ draconi quotidie dabantur, cōmentatus est causam. Putat enim soporiferū papauer admistum fuisse dulcibus epulis, vt ferox illa bestia non quidem omnino, prorsusq. deuinceretur sopore, sed vt paululum de ferocitate remitteret, ac leniretur. Quippe papauer, quod alijs animantibus induceret veternum, insomni, peruigilique

draconi propter singularem ferociam languorem tantummodo quendam potest afferre, ac demum facere, vt sæuiat minus. Nam quia ea bellua truculenta admodũ erat, & ferox, eius mollire naturam oportebat; vt & ali sine periculo posset, & retineri. Simul ergo custos illa templi, cibaria, quibus eam in vita retineret, præparauit, simul quoq. sibi ipsi consuluit. Atq. vt rem nobis ob oculos poneret melius Petrus Victorius, veram adiungit narrationem huic fabulæ: confirmans, accepisse se à certis hominibus, Imperatorem Turcarum alere Tigrim; quæ catenis etiam vincta impunè, ac tutò tractari non queat: adeoq. curatores, ac eius magistros belluæ, cum eam aliquò conuehere volunt, succum illi mandragoræ præbere solitos, vt mitigetur aliquantum, & ea truculentia temperetur. Itaque mandragora, quæ quoniam non somnifera modo, sed pestifera est ex Plin. lxxv. c. xiij. mortem, fortasse alijs afferret animantibus, illi belluæ ferocissimæ spiritus tantum, & feritatem imminuit.

Nihil dissentit à Petro Victorio Turnebus in lib. xxvj. capite xlv. addit tamen aliquid, quo nodi solutio reddi possit expeditior. Sic sentio, inquit, immanem illum draconem, vt locum amaret, iucundo linctu mellis retinendum fuisse: & ne perdius, & pernox insomnis tandem deficeret, medicamento soporifero ad somnum conciliandum, vireſq. reficiendas opus fuisse. Ita subscribens Victorio diuinat Adrianus Turnebus. Refert tamen præterea causam eius cibi somniferi in eam perpetuam vigiliam: quæ facere posset, vt defatigaretur, ac deficeret draco, quod à Victorio significatum non est.

LOCVS III.

DE DIDONE MORITVRA.

Cur dicatur alterum exuta pedem.

Ipsa mola, manibusq. pijs altaria iuxta
Vnum exuta pedem vinclis, in veste recincta
Testatur moritura Deos, &c.

Nulli sunt hic, quod ego sciam, accusatores: sed quærere tamen est necesse, cur moritura Dido alterum pedem exuerit.

Aliqui omnem referunt eius rei causam ad sacrificium magicum, quod Dido tum adornabat, cum altero nuda pede fuisse dicitur. Eum quip-

quippè ritum,ac morem illorum fuisse, qui magico sacro Dijs Infernis operarentur,demonstrant ex Ouidio in lib.vij.metamor.

Egreditur tectis vestes induta recentes,
Nuda pedem.

Ex Horat. in lib.primo Satyra viij.

Vidi egomet nigra succinctam vadere palla
Canidiam pedibus nudis,passoq. capillo .

Et ex Seneca Tragico in Medea.

Tibi more gentis vinculo soluens comam,
Secreta nudo nemora lustraui pede.

Sed hæc demonstrant tantummodo,vtrisq.pedibus nudis,exutisq.sandalibus,aut cothurnis sacrificasse, qui Dijs facerent Inferis . Quamquam enim Ouidius, ac Seneca dicunt[nudo pede]singularem tamen numerum pro plurali ponunt more poëtarum.Quærendum itaque restat,cur Dido vnum tantummodo nominatim exuerit pedem. videtur enim id non modo ritum illum magicæ litationis , verum etiam aliquid præterea singulariter,& electè significare .

Vt causam repetamus altius , illud pro comperto esse debet , non apud sacros modo scriptores,in primisq. Philonem Hebræum, verum etiam apud ethnicos, & superstitiosos, pedes symbolicè, ac translatè significare animi nostri appetitiones , affectus,perturbationes , cupiditates . Id sibi nimirum voluisse Suidam puto,cum dixit, extergere, ac purgare pedes nihil aliud esse,quàm animum curis, ac molestijs liberare . non tam enim id ex sacrorum vsu scriptorum , quàm ex sapientium ethnicorum consuetudine dixit . quos idcircò putant aliqui finxisse inuiolabile,minimèq. obnoxium telis Achillis corpus, ipsis tantum exceptis pedibus , qui vulneri patebant, quòd significare, ac mortalibus indicare illa fabula vellent , Achillem imperatorem quidem fuisse partibus absolutum militaris , atque imperatoriæ fortitudinis omnibus, sed tamen eum, qui caperetur appetitionibus , & animi cupiditatibus impotenter abriperetur . Quin huc etiam Euridicem pertinere contendunt ; quæ morsu pestiferæ serpentis interijt . Quid enim est causæ,cur anguis ille pedem momordisse nominatim dicatur,non aliam corporis partem perstrinxisse , nisi quia pes symbolica significatione demonstrat , Euridicem sua,qua tenebatur, animi perturbatione,ac cupiditate compunctam occidisse penitus,atque ad Inferos, vbi sunt vmbræ impotenter amantium,descendisse ?

Porrò causam ipsam cur hoc symbolum,aut metaphoram excogitarint sapientes,eam esse confirmant , quòd quemadmodum pes infima corporis est pars , sic appetitio pars animi depressior esse videatur . Cui persimilis alia causa est ab alijs tradita : quòd sicut aqua exterguntur,& purgantur pedes , ita illa pars animi,vbi commotiones ap-

petitioneſque ſunt, virtutis beneficiō poſſit abſtergi.

Atq. hoc demum illud eſt, quod, vel exprimitur, vel adumbratur nudo illo Didonis pede iam morituræ. Significat enim poëta Platonicus, Didonem morti proximam, & neci addictam voluntariæ, liberam eſſe non omnibus omnino commotionibus, atq. affectibus appetentis animi, qui vtroque pede ſignificantur; ſed vno tantum: qui metus eſt mortis. Cum enim illa ſua ſibi manu mortem afferret, eo timore iam abſoluerat, & exterſerat animum; ceteris autem affectibus haud abſterſerat. Itaque alterum pedem, qui pauorem illum mortis ſignificat, nudum habet: alterum, qui reliquas animi perturbationes deſignat, vinculis retinet, & ſandalibus impeditum. Idem ſine dubio voluit Apollonius oſtendere, cum dixit Iaſonem in Anauro Theſſaliæ fluuio alterius indumentum pedis amiſiſſe. Nam ad honeſta tunc facinora delectus, diuinitus Iaſon aliquam quidem à ſe depulerat affectionem, & prauam cupiditatem, ab eaque virtutis beneficio veluti fluuio ſe purgarat, ceteras nondum fregerat, nec totam appetentis animi labem exterſerat. Quod vt planius intelligatur, ita rem à principio repetamus. Pelias Theſſaliæ Rex acceperat ab oraculo, eum hominem ſibi peſtem allaturum, quem videret ad ſe venientem altero nudū pede. Interea fluuium illum Anaurum imbribus ſupra modum adauctum traijciens Iaſon, alterum amiſit calceum, nudoq. pede in Peliæ ſe conſpectum commiſit, qui epulas ea die parauerat omnibus ſacras Dijs, excepta Iunone. Intellexit Pelias hunc eſſe, quem extimeſcere deberet. Itaq. per ſpeciem honoris eum in Colchidem miſit ad auertendum vellus aureum, eo conſilio, vt medijs fluctibus hauriretur. Apollonium ipſo planè initio libri primi Argonaut. audire præſtat latinè ſic redditum.

Flumina turgentis pedibus tranſibat Anauri
Aeſonides; quem tum pluuialis adauxerat vnda.
Alter ab obſcœnis ſeruatur calceus vluis,
Alter at eripitur limo, & quà flumen Anaurus
Aequoreis miſcet lymphis, deſertus adhæret.
Confeſtim egregiam Regis petit impiger aulam,
Et ſacras petit ille dapes, quas ritè parenti
Fecerat æquoreo, Diuoſq. vocauerat omnes
Rex; tamen in cunctis doluit Saturnia Iuno
Neglectam ſe Cœlicolis, ſacriſq. repulſam.
Vixq. procul iuuenem Pelias conſpexit euntem,
Hunc ſibi portendi fatis, hunc dicere Phœbum
Accepit. Diuumq. minas prohibere laborans,
Aeſoniam mittit truculenta per æquora prolem
Aeetæ ad terras, & ſæuas Colchidis oras,

Vt tru-

Vt trucis in medio quaſſatam gurgite ponti
Naufragus æquoreis nauem ſubmergeret vndis.

Sed res contra cecidit, vt dicitur ab eodem Apollonio: quia Iuno accepit in clientelam Iaſonem, eumq. & in itinere ſeruauit ſemper, & ſoſpitem reduxit in patriam. Suſcepit autem vltro Iaſonis patrocinium ſtatim, vt eum ex Anauro prodeuntem aſpexit. Sic enim ipſa Iuno loquitur poſt initium libri tertij.

Ante etiam Aeſonidem fido complector amore,
Ex quo ſe nobis rediens venatibus Heros
Obtulit ad ripam quondam turgentis Anauri.

Itaque Iaſon diuinitus ad tam arduum facinus aggrediendum delectus, debuit ante metu mortis animum liberare, & fluuio illo quaſi detergere, ne mare, fluctuſq. nemini tentatos primus ipſe nauta perhorreſceret. Ceteras tamen affectiones animi purgare neceſſe non habuit, ac propterea calceum alterum retinet, & pedem indutum, quo cæteræ illæ commotiones animi ſignificantur.

Dicamus igitur in ſumma: locum hunc Apollonij reſpondere Virgiliano ad libellam. Alter enim hic pes Iaſonis nudus imperfectam exterſionem appetentis animi ſignificat. Quare implicatus poſtmodum eſt amore Medeæ. Occurſus verò Iunonis illico, vbi ex Anauro prodijt exuto pede, quid aliud eſt, niſi promeritum hominis incipientis iam habere propitios Deos, quos inter animi commotiones turbulentas omnes habuerat aduerſos? Quæ ſapientium arcana rimatus, & ſecutus Virgilius, rem omnium omnino difficillimam, hoc eſt mortem voluntariam aggreſſuram Didonem inducit vno tantummodo nudam pede, hoc eſt, vno metu mortis ſolutam ac liberam; ſed indutam altero: quia ceteris affectibus, quibus adigebatur ad mortem, adhuc tenebatur obnoxia, & veluti ſeruitio premebatur.

Finis Libri Quarti.

LIBRI QVINTI AENEIDOS

LOCVS PRIMVS.

DE CHIMAERA TRIREMI.

An licuerit eo tempore triremes fingere.

QVAMQVAM Virgilius non vtitur hoc nomine triremis, ita tamen Chimæram describit, vt triremem sine dubio faciat, & triremem dicere videatur ex triplici remorum ordine, quibus impellitur.

Velocè Mneſtheus agit acri remige Priſtin,
Ingentemq. Gyas ingenti mole Chimæram,
Vrbis opus, triplici pubes quam Dardana verſu
Impellunt: terno conſurgunt ordine remi.

Aiunt ergo Critici factam hic esse, dictamq. triremem sine verosimili ratione; cum circa belli Troiani tempora nondum esset triremis excogitata. Longam enim nauem principio fecisse dicitur Iason, eaque post Iasonem vsus fuisse primus Sesostris Ægyptiorum Rex. Biremem exædificarunt Erythræi: triremem, vt docet Thucydides, molitus est Amocles Corynthius, quem tamen multò post bellum Troianum floruisse accepimus.

Quæstionem hanc illi similem esse video, quam tractauimus aliàs de pictura, cuius aspectu animum pascebat Aeneas, cum pictura nondum esset inuenta. Itaque ex ijsdem peti fontibus expediendi nodi ratio potest. Sed placet tamen aliquid addere præterea, multòque copiosius,

piosius, ac pluribus controuersiam hanc cum illa communem explicare.

Pono igitur primum; licentiam illam, quæ dicitur anachronismus, sæpè multumq. à poëtis vsurpatam, non eum tantum vsum afferre, vt tempora permutare liceat, ac fingere aliquid eo tempore gestum, quo gestum re ipsa, & verè non est, sed vt etiam fas sit, antiquis nominibus vti pro nouis. Dat illis hanc veniam Aristoteles disertissimè in cap. illo poëtices xxiij. Defens. xj. vbi cũ proposuisset rationes euadendi ab aduersarijs, id etiam adiunxit; posse poëtas interdum tueri quod dicunt propter consuetudinem, vsumq. dictionis: quale, inquit, illud Homericum est.

Ocrea, quæ stanno fuerat confecta recenti.

Sciebat quippe Homerus, Achillis ocreas, de quibus eo loco Iliad. xviij. loquebatur, non stanneas quidem fuisse, sed aereas, & ferreas: quia tamen antiquo iam vsu videbat à multitudine stannum sæpe dici pro aere, ac ferro, illo vocabulo non dubitauit abuti. Aliud ibi proponit exemplum Aristoteles petitum à fabris ferrarijs, quos Græci χαλκέας appellabant: cum tamen ea vox ab aere deducta, aerarios tantum fabros, quos vulgò fusores dicimus, verè significaret. Sequebantur nimirum antiquorum consuetudinem: qui paulatim vtrisque fabris, tam ferrarijs, quàm aerarijs eandem appellationem impertiuerunt. Sunt alij apud Homerum loci persimiles: ij præsertim; vbi capitis tegmen appellat κυνέην. hoc enim vocabulum in illud tantum, ac nominatim cadebat capitis integumentum, quod è fluuiatilis pelle canis factum, & compositum esset. eo quippe caput munire cœperunt antiqui. Quid multa? Ipsi Latini argentarios vocant eos artifices, qui etiam aurea numismata, monetamq. permutant auream; quia sic initio fuisse vident appellatos: & poëtæ sagittã, quæ nullam nunc arũdinem habet, nominant tamen arundinem, quòd ex ea principio fieri sagitta cœperit. Immo verò auspicari pro exordiri dicere non dubitamus interdum, quia verbum illud ab auspicijs olim desumptum, cœpit ad omnia transferri, quæ inchoaremus; & adolere, quod ab ador erat acceptum, ad concremationem thuris, & viscerum postea fuit accommodatum. Huc accedit Tyranni nomen, quo sæpissime ipsi etiam bono, ac iusto Regi damus; quia prisci quoslibet Reges, quantumuis probos, ac moderatos, dixerunt Tyrãnos. Sic profecto in libro septimo Latinus Aeneam illum tam pium, & iustũ Regem Tyrannum appellat.

Pars mihi pacis erit dextram tetigisse Tyranni.

Quare Virgilium secutus, quem semper sequitur, Silius Italicus, Hieronem Siciliæ Regem omni virtutum genere præstabilem, cunctis Regni suffragijs creatum, amicissimum populi Romani, dicere non dubitauit Tyrannum.

Vos etiam tandem Siculi contra arma Tyranni, &c.

Atq. vt à poëtis aliquantulum discedamus, ipsum etiam proferemus testem Platonem; qui, vt nos monuit Cardinalis Bessarion in libro quarto cap.x. aduersus Trapezuntium, Tyrannum pro Rege, ac iusto Principe posuit. Platonis verba sunt hæc. Detur mihi ciuitas sub Tyranno: sitque Tyrannus ipse iuuenis, ingeniosus, memoria valens, fortis suapte natura, magnificus. Contendit ergo illo loco Bessarion, ab antiquis vnius dominatum, quantumuis iustum, ac bonum, appellatum fuisse Tyrannidem; & dominum, ac Principem ipsum, qui solus dominaretur, dictum quoq. Tyrannum: ideoque inuehitur in Trapezuntium, quòd deceptus eo nomine Tyranni, ausus esset dicere, à Platone laudatam esse Tyrannorum dominationem. Planius explicat hoc de nomine Suidas his verbis. Poëtæ, qui ante bellum Troianum floruerunt, Reges ipsos vocarunt Tyrannos: deinde ad Græcos eadem appellatio fluxit.

Ex hac poëtarum licentia, quam ipse comprobat Aristoteles, ducere nos etiam aliquam defensionis possumus rationem, & efficere, ne videatur errasse Virgilius, cum triremem appellat eam nauem, quæ triremis verè non erat. Quemadmodum enim id datur poëtis, vt antiquo nomine pro nouo interdum vtantur (quod ex locis modo laudatis intelleximus) sic etiam conceditur ijsdem, vt vsurpent, ac ponant antiquorum nominum loco aliquod nuper inuentum nomen, quodque nouissimè fuerit rebus ipsis impositum. Esto igitur; nulla tum triremis fuerit, cum Troiani venerunt in Italiam. fuit tamen aliqua longa nauis illi similis, quæ postea dicta triremis est. Atq. hanc prorsus ipsam inijt Seruius viam, vt Virgilium purgaret, quòd lituum in Latini Regis manu Quirinalem collocasset eo sæculo, quo Romulus, aut Quirinus non dum fuerat in lucem exceptus.

Ipse Quirinali lituo, paruaq. sedebat
Succinctus trabea.

Nec aliam ego rationem excogitare possim ad Senecæ defensionem, qui in Thyestis choro actus secundi audet Quirites dicere viros principes, cum nulli adhuc essent nati Quirites.

Obscuro positus loco
Leni perfruar otio.
Nullis nota Quiritibus
Aetas per tacitum fluat.

Quos enim Quirites hoc loco vult intelligi, nisi Reges, aut proceres, quibus illi Romani rerum domini pares erant? At Romani longo post tempore extiterunt: nec tunc erant vlli, cum ea caneret ille chorus in Græcia. Nimirum anachronismi licētia vsus poëta, Quiritium nomen, quod nouum erat, impossuit viris illis potentibus, & florentibus

tibus Imperio, qui verè Quirites non erant.
Hoc item præsidium præstò esse potest Virgilio in verbo, discumbere. Mirati sunt enim semper Grammatici, ac mirari non desinunt, cur Deos, Heroasq; fecerit epulis accumbentes, aut discumbentes mensis: vt in primo Aeneid.

---Tu das epulis accumbere Diuum.

In Secundo.

Inde toro pater Aeneas sic orsus ab alto.

In tertio.

---------toris iussi discumbere pictis.

Mirantur, inquam, quid ita fecerit, cum compertum habeamus, illos sedisse, non accubuisse, cum cibum caperent. Id videlicet docuit multis locis Homerus, ac primò quidem in Iliad. xi. de Dijs epulaturis.

---------- αὐτὰρ ἐπειτα
Εἰς κλισίην ἐλθόντες ὅτε κλισμοῖσι κάθιζον

Sedibus inde suis venientes rite sedebant.

Deinde in Odiss. xix. cœnantes apud Alcinoum describens Heroas.

Δαιτύμονες δ' ἀνὰ δωμα τ' ἀκεάζωντο ἀοιδοῦ
Ημενοι ἐξείης.

Conuiuæ interea dapibus vescuntur opimis,
Mulcentes numeris aures, vnàq; sedentes.

Docuit idem Apollonius Rhodius in Argonauticis, cum in nuptijs Pelei, & Thetidis Deos, Heroasq; admouet mensæ sedentes. Quem imitatus in Epithalamio Catullus, viam tenuit in hoc genere, quam antiquorum vestigijs tritam videbat.

Qui postquam niueos flexerunt sedibus artus:
Largè multiplici constructæ sunt dape mensæ.

Hæc, inquam, eodem defendi præsidio possunt, hoc est, ex ea licentia, quæ noua nomina substituit antiquis. facit enim hæc venia, vt lituus dici potuerit, ante Romulum, Quirinalis, quia post Romulum sic appellatus est; & Deos, Heroasque discumbentes, aut accumbentes licuerit facere, quia postmodum accumbendi vsus inuentus, discumbendique inter epulas est probata consuetudo. Nec alia se tueatur idem Virgilius ratione, si reprehendatur in eo versu.

Postquam prima quies epulis, mensæq; remotæ.

Quamquam enim secundæ mensæ nullæ prorsus erant Heroicis temporibus, & quod inde consequens est, primæ non tollebantur, licuit tamen poëtæ de antiquis Heroum conuiuijs eodem planè loqui modo, quo loquendum fuisset de nouis.
Scio aliquos esse qui censeant, ad hunc patrocinij locum esse vocandum ensem illum ferreum Aeneæ, quem stringit, & eripit è vagina

post

post initium lib. sexti iussu Sibyllæ.

Tuque inuade viam, vaginaque eripe ferrum.

Docet enim Pausanias in Laconicis, nullum ferri vsum Heroicis fuisse temporibus, sed tantum æris: idque demonstrare se putat ex Pisandri bipenni, sagittisque Merionis, quas aereas dicit Homerus: & ex Achillis aerea cuspide in templo Mineruæ reposita; gladioque item aereo Memnonis, qui apud Nicomedienses in Aesculapij delubro seruabatur. Itaque videtur istis nouum nomen pro veteri positum à Virgilio, hoc est ferrum pro aere, cum ijs temporibus aere pro ferro vterentur antiqui Heroës. Sed non video propter hunc ensem ferreum, esse necessariò ad hanc arcem confugiendum. Iam enim docuit Aristoteles in illo cap. xxiii. stanneas Achillis ocreas Homero esse ferreas. quod sanè verum non esset, si Heroicis temporibus nullum ferrum fuisset. Quorsum enim contenderet, ab Homero, qui res commemorat, & ætatem Heroum, ocreas dici stanneas pro ferreis, si ferri vsus nondum extitisset? Cum ergo crediderit, & tradiderit Aristoteles, Heroicis quoque temporibus arma iam esse ferrea cœpisse, malim errasse Pausaniam, quàm Aristotelem. Statuamus adeo, vagina ferrum ereptum ab Aenea ferreum ensem potius fuisse, quàm aereum: nec ista vtamur machina, nisi cum dignus vindice nodus inciderit. qualis interdum incidit, cum in quosdam Italici nominis, ac nostratis linguæ poëtas incurrimus, qui antiquorum balistis, & muralibus machinis illud audent nomen tribuere, quod tormentis aereis à nostris nuper impositum est. Quamquam sunt etiam, qui hoc inuentum antiquissimum esse contendant ab eo natum Salmoneo,

Demens, qui nimbos, & non imitabile fulmen
Aere, & cornipedum cursu simularat equorum.

Existimant enim hi, Salmoneum ex aeneo tubo, alioue huiusmodi vase ignis impetu quærentis exitum, ac intus obluctantis, magno cum sonitu, ac fulgore glandes, pilasue proiecisse quasi fulmina; ac propterea dixisse Virgilium.

Vidi & crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Iouis, & sonitus imitatur Olympi.

Eustathius quidem certè in Odyss. lib. xxi. testatur, Salmoneum vere fuisse ingeniosissimum quendam machinarum opificem, narratque vnum præterea, quod possit istis aliquam fortasse fidem conciliare, hoc est, ostendere, inuentum illud antiquissimum esse. Narrat, inquam, artificem fuisse nescio quem admirabilem, qui sui domum inimici repente diflauerit machinamento tam efficaci, vt terræmotu vehementissimo disturbata videretur. In qua domus deiectione tam subita illud obseruatè confirmat, quosdam auditos veluti tonitrus

trus fuisse, ac quædam quasi fulgura visa, à quibus opifex ipse dictus postea fuerit ἐννοσίχθων, ἢ τερπικέραυνος, terræ motor, & fulguratror. Huius artificis, ac molitoris admirandi mentionem quoque facit Agathias in lib. v. additque nomen illi fuisse Artemisio; inimico vero, cuius euerterat domum, Zenoni. Commemorat præterea Suidas Eutropium quendam, à quo persimile molimentum prodierit. Ait enim eum fuisse Imperatori Theodosio à cubiculis, & quidem eunuchum: sed qui per vim quodammodo vellet videri vir: cum vsque adeo concusserit omnia tonitruis editis, vt fabulosus ille Salmoneus ei collatus nullus esse videretur. Conantur, vt diximus, his exemplis aliqui demonstrare vetustissimum inuentum fuisse, quod pro nouitio suspicimus: sed decipiuntur, opinor. Vtcumque res sit, nomen certe nouum, ac linguæ nostratis, antiquorum ballistis, ac machinis imponere velle, nihil aliud est, nisi ea licentia poëtarum vti pro arbitratu, de qua hucusque disputauimus: quaq; Virgilium diximus iure tunc vsum, cum Chimæram longam illam nauem fecit tribus impelli remorum ordinibus; quod est eam appellare Triremem.

LOCVS II.

DE COLVMBA COLLINEANTIVM iaculatorum ictibus ab Aenea proposita.

Protinus Aeneas celeri certare sagitta
Inuitat qui forte velint, & præmia ponit.
Ingentique manu malum de naue Seresti
Erigit, & volucrem traiecto in fune columbam,
Quò tendant ferrum, malo suspendit ab alto.

Columbam Veneri sacram, dicatamque fuisse, sellularijs quoque notum, & tonsoribus est. Quo magis Critici veteres hæsitarunt hoc loco, dubitaruntque sanus ne Virgilius esset, ac sobrius, cum Aeneam fecit auem illam suæ dicatam parenti fune obligantem, suspendentem ex arbore, iaculantium sagittis exponentem: cum præsertim maternas agnoscat, ac veneretur aues in libro sexto; vtque sibi felices, bonæ, propitiæue sint, enixè precetur. Quæ tanta nunc ergo in homine sapiente sit inconstantia, vt velit auem illam classiariorum petulantiæ tradere, quam paulo post erit veneraturus, & velut internuntiam, ducemque secuturus allegatam à Matre? Nimirum inconsiderato quodam impetu, studioque abreptum Virgilium hic putant ad imitationem Homeri. apud quem Achilles

Achilles Iliad. xiii. in funere Patrocli sex iam ludorum, & certaminum generibus exhibitis, septimum proponit eodem planè modo, quo proponitur hìc ab Aenea quartum. Versus enim Homeri latinè redditi sic prope sunt.

Ille sagittarijs signumque, & præmia ponit.
Nempe manu malum nigra de naue refixum
Erigit, & timidam suspendit fune columbam.
Qui primus volucrem ferro contingat acuto.
Is ferat appositum munus, bis quinque secures;
Totque securiculas qui funem ruperit ictu.

Sed hæc in Achille reprehensione vacant, qui non Veneris esset, sed Thetidis filius, cui columbæ sacræ non sunt. digniſſima verò videntur esse quæ reprehendantur in Aenea: cuius erat officium venerari maternam auem, nec iaculatoribus occidendam per ludum proponere. Scimus enim quanta cum superstitione pleræq; gentes, & populi alioqui barbari animalia quædam venerati sint, quæ Dijs suis consecrata putabant. ex quibus Syros proferre potiſſimum testes libet; apud quos columba ipsa sic sacra erat & sancta, vt eam ne attingere quidem auderent; quemadmodum indicat distícho illo nobili Tibul.

Quid memorem vt volitet crebras intacta per vrbes
Alba Palæstino sancta columba Syro?

Scimus etiam quàm graues crediti sint luisse pœnas ij, qui animalia quædam, aliasque res Dijs consecratas violasent. Tales apud Homerum in Odiss. lib. xii. sunt Vlyssis socij tempestatibus, & turbinibus hausti, quòd Eurylocho auctore, ac duce, Solis occidisent boues, atque ad supremam depellendam famem comedisent. Talis est apud Ouidium Cadmus laboribus addictus innumerabilibus, & maximis, quòd Marti serpentem sacrum imprudens, & nescius interfeciset. Talis apud eundem Erisicton fame confectus, atque ad rabiem adactus, quòd succidisset annosam quercum Cereri dedicatam. Hanc ergo religionem veterum vulgatam apud omnes, & peruagatam cum non ignoraret Aeneas vir prudens, & pius, cuius est iudicij hominem illum inducere maternam auem suspendentem è malo, vt iaculatorum sagittis esset opportuna?

Antiquissimam hanc fuisse reprehensionem accusationemque demonstrat studium Seruij, patrocinium Virgilij suscipientis hoc loco; affirmantisq; inanem esse vituperationem Aeneæ, quòd suspenderit columbam auem illam maternam. Videamus ergo num poëtæ causam ita tueatur hic Grammaticus, vt noster in eadem defendenda frustra futurus sit labor. Duas ille defensionis suæ producit rationes, quas perpendere oportet ambas. primam: quòd res sit

translata

translata ſimpliciter. ſecundam: quòd cum nulla ſit auis, quæ apud antiquos conſecratione careret, & alicui Deo ex eorum ſuperſtitione dicata non eſſet, in eandem omninò vituperationem incurſurus fuiſſet Aeneas, quamcumque demum auem ſuſpendiſſet. Quare ad probat ſententiam Vrbani antiquioris Grammatici, contendentis, Aeneam prudenter ex omni auium genere accepiſſe columbam, quàm è malo ſuſpenderet: quia matrem offenſam placare facilius poterat, quàm ceteros Deos, ſi dicatas ijs aues ea ſuſpenſione violaſſet.

Enimuero niſi meliores inueniantur patroni, facile Virgilius cauſa cadet: cùm infirmæ rationes hæ ſint, nec idoneæ, ad fundum de quo controuerſia eſt, aſſerendum. Nam primo quidem haud ſatis intelligo quid ſit, rem eſſe translatam ſimpliciter, niſi ſignificare velit, ſimpliciter, hoc eſt nulla huius habita ratione venerationis, & reuerentiæ, quæ columbæ maternæ debebatur ab Aenea, voluiſſe Virgilium eum Homeri locum ad ſe transferre. Id autem nihil aliud eſt, niſi fateri, in ea imitatione dormitaſſe, nec vidiſſe decorum, ſed excerpere ab Homero temere voluiſſe quod obuium erat, & rei ſuæ conducere per imprudentiam exiſtimaſſet. Deinde quæ neceſſitas Aeneam adigebat ad aliquam proponendam auem iaculatoribus ſuis, hoc eſt omninò ad aliquem commouendum in ſe Deum, cui ſacra eſſet & dicata? Nonne aliud potuit ſignum, ſcopumq, proponere, ac manum ab omni prorſus aue continere, nec Deorum quempiam ex ijs lædere, quibus ſacræ ſunt aues? Quod ſi neceſsitas & ratio, ſi vſus ſortaſſis, & conſuetudo vetus id poſtulabat, vt aliqua iaculatoribus illis proponeretur auis, quæ nam hæc videri poteſt excuſatio criminis, quòd à matre facilius impetraturus veniam eſſet, quàm à ceteris Dijs? Num hoc probi, pijque officium filij eſt, velle matrem potius lædere quàm alios, quia facilius à matre impetraturus veniam ſit? Immo verò neminem ego putauerim ſuæ amantem vere parentis filium eſſe, qui non malit alium quemuis lædere, quàm parentem, etſi ſciat, ab ea ſe facilius, quàm ab alijs in gratiam recipi poſſe, ac veniam impetrare.

Patronum adeo meliorem Virgilio demus, ac non alium profecto, quàm Ariſtotelem: cuius monitum explicatum à nobis in Prolegomenis defenſ. xv. ſubſidium, & patrocinium huic loco ſuppeditabit accommodatum. Præcipit ergo ſummus hic poëtarum defenſor, vt impoſitas ijs calumnias eo depellamus, & diluamus modo, quò à Dialecticis ſoluuntur, & diluuntur elenchi, hoc eſt ſophiſmata, & captioſæ quædam argumentationes. has autem confutamus, & ſoluimus verbis inſpiciendis, ac diſtinguendis ambiguis. quo de genere nonnulla ſunt in hac quæſtione, quæ aduerſus Virgilium à Criticis eſt adornata. Cum enim dicunt, animal, quod ſacrum Dijs eſſet, nemini licuiſſe con-

tingere, aut occidere, & violare, à parte ducunt argumentationem ad totum verbis ambiguis: perinde ac si animalia veterum superstitione consecrata eadem planè essent omnia, & vniusmodi; quæ tamen varia sane fuerunt, & multiplicia. Erant quippe aliqua sic sacra, vt etiam pro Dijs haberentur & colerentur, vt apud Syros pisces, & columbæ, quod docet Xenoph. in Cyro Minore lib. 1. Diod. Sicul. lib. iij. cap. ij. M. Tull de Orat. lib. iij. Lucian. in Ioue Tragœdo: apud Troglodytas testudines; quod legimus apud Plin. lib. ix. cap. x. apud Heliopolitanos boues, quod testatur Strabo in libro xvij. & Diodor. lib. ij. cap. iv. apud Momemphitas vaccæ: quod scribit idem Strabo ibid. apud Leontopolitanos leo; quod idem & eodem loco confirmat Strab. apud Mendesios hircus & capra: quod tradit Herodot. in lib. 1. apud Thebanos aquila: quod commemorant Strabo loco laudato, & Diod. lib. ij. cap. iv. apud Lycopolitanos lupi: quod perhibet Macrob. in lib. Saturn. 1. apud Babylonios Cephus: quod idem affirmat Macrob. ibid. apud eas gentes quæ bustum accolunt Memnonis, cercopithecus: quod irridet in Sat. xv. Iuuenalis. qui quoniam tum aliarum gentium, tum in primis Aegyptiorum huiusmodi numina recenset multa, hoc labore nos liberabit, si eiusdem versus proferamus hic aliquos.

Quis nescit Volusi Bithynice qualia demens
Aegyptus portenta colat? crocodilon adorat
Pars hæc; illa pauet saturam serpentibus Ibim.
Effigies sacri nitet aurea cercopitheci
Dimidio magicæ resonant vbi Memnone chordæ,
Atque vetus Thebe centum iacet obruta portis.
Illic cæruleos, hic piscem fluminis, illic
Oppida tota canem venerantur; nemo Dianam.
Porrum, & cepe nefas violare, ac frangere morsu.
O sanctas gentes: quibus hæc nascuntur in hortis
Numina. Ianatis animalibus abstinet omnis
Mensa: nefas illic fœtum violare capellæ;
Carnibus humanis vesci licet.

Hoc ergo primum apud veteres consecrationis erat genus, ipsa donans animalia diuinitate: quod eiusmodi sine dubio fuit, vt quæ sic essent consecrata, ea nemini ex ijs populis, à quibus pro Dijs habebantur, liceret vel occidere, vel in vsum cibi conuertere, vel alia ratione violare.

Alia verò fuerunt animalia Dijs ita dedicata, vt hostiæ quoque illorum essent, ac victimæ propriè: quo de genere permulta sane queunt enumerari; cum nullum propè animal esset, quod alicui Deo propriè non immolaretur. Aesculapio, vt hæc tantum exempli causa dicamus, gallina mactabatur & gallus, ex Xenophon. in vita Socratis, alijsque:

Isidi anser ex Herodoto in lib.ij.Lactan. in lib.j.Laribus porcus ex Iuuenal.Sat.xiij.equus Soli ex Xenophon.in Cyri pæd. lib.viij.& Strab. xv. taurus Lunæ ex Lactan. lib. 1. cap. xxj. Iunoni agna vel ouis ex Seruio:Dianæ cerua ex Ouid.in lib.j.Fastorum: Libero caper,aut hircus ex eodem Seruio, & Varrone in lib. 1. de re rust.cap.ij. alia denique animalia his similia alijs, quæ profectò occidere fas erat: & eorundem carnibus vesci vetitum non putabatur. Neque enim Deorum quisquam contemni,lædique se censebat,quòd mortales aliqui bouem comederent, aut agnam; aliudue animal ex ijs quæ sibi vellent immolari.

Tertiam denique consecrationis fuisse video formam certorum, quorundam animalium, quæ Dij sibi seponebant ex toto genere, vt è bobus aliquos,aliquos ex equis, ex auibus certas aliquas, ex serpentibus aliquos: cuiusmodi fuit armentum Solis apud Homerum & serpens Martis apud Ouid. de quibus supra commemoraui. Atque hæc demum animalia sic sibi reseruare credebantur Dij, vt ex antiquorum opinione vulgata,grauissima plecterent eos poena,qui ea contingere auderent, aut occidere,aut ad cibos,epulasque transferre quantumuis sacras, & eas,quæ sacrificij obtinebant nomen,& vim. Non enim Vlyssis illi socij prius epulari sunt ausi,quàm boues immolassent Soli,cuius sciebant esse peculiares,ac proprios. & tamen infortunium passi omnes, & ab eodem Sole grauissimis affecti supplicijs sunt, cui boues ipsos cum religione sacrificarant.

Ex his ergo iam incipit apparere sophisma,&captiosa eorum ratio, qui sic disputant. Columba erat Veneri sacra. At aues Dijs sacras nefas erat occidere,ac violare. Impius igitur Aeneas est, qui maternam illam auem iaculatorum telis audet obijcere. Videndum enim, est quo genere consecrationis columbam Aeneas, Troianique Veneri dedicatam existimarent: vt rectè iudicari possit,an impii sint. Ac primo quidem hoc certum est; Troianos, & Aeneam ipsum non ita columbam coluisse, vt in ea numen esse putarent aliquod: id enim proprium Syrorum fuit, qui pro Dea quamlibet omnino columbam habebant, vt diximus. Deinde id quoque planum esse debet, & exploratum; columbam illam electè,ac nominatim, quam Aeneas malo suspendit ab alto,non eam fuisse, quam ita sibi vindicasset Venus,quemadmodum boues sibi vindicauerat, & consecrauerat Sol,Serpentem, Mars,quercum Ceres, alii alias animantes, aut arbores Dii. Restat igitur, vt ea columba idcircò tantum Veneri sacra dici posset, quòd Veneri ex ipso columbarum genere daretur,& immolaretur victima, quod sæpe legimus apud antiquos; vt apud Propertium: qui iugulari solitam,incendiq. Veneri fuisse columbam,sic docet.

Sed cape torquatæ Venus ò Regina columbæ

Ob meritum ante tuos guttura secta focos.

Et apud Ouid. in lib. 1. Fast.

Ergo sæpe suo coniux abducta marito
Vritur in calidis alba columba focis.

Itaque à Martiale illud præceptum extitit in lib. xiij. epigr. vj.

Ne violes teneras præduro dente columbas
Tradita sed Gnidiæ sint tibi sacra Deæ.

Hæc inquam vna causa est, cur Veneri sacra censeri, & dici posset ea columba, quæ suspensa iaculatorum exponitur ictibus ab Aenea, quòd Veneris victima soleret esse plerumque columba. At quæ animalia, ideo consecrata censebantur, quòd aliquorum essent Deorum victimæ, ea fas erat attingere, occidere, in vsum vitæ consumere. Neque enim Aeneas ipse tam sæpe dictus à Virgilio pius lædi à se Dianam existimauit, cum septem in Punico littore ceruos occidit, classiq. torrendos tradidit, & in cibaria distribuit sociis. Sed tamen abstinere debuit Aeneas, dicet aliquis, ab eo ludibrio, nec Veneris auem iaculatoribus proponere, sed aliam. Non hic ergo confugiam ad defensionem ab Vrbano illo Grammatico excogitatam, qui cum videret singulas propemodum aues singulis fuisse Numinibus consecratas, minus peccasse putauit Aeneam proponenda columba illa aue materna, quàm si alias ceteris consecratas Diis proposuisset. Erat enim, vt diximus, boni, amantisq. filii, matrem aliis omnibus anteferre, & præ ceteris metuere, ac reuereri. Aduocabo igitur etiam in hanc vltimam causæ partem Aristotelem, cuius præceptionem explanatam à nobis in Prolegom. defens. v. eam esse scimus, vt cum poëtas à Criticis reprehensos defendere volumus, circumstantias intueamur. Inter circumstantias autem numerantur potissimum locus, ac tempus: quæ si hoc loco perpendamus, inueniemus ea profectò fuisse, quæ columbam potius quàm aliam auem efflagitarent. Erant enim ludi funebres parentis Anchisæ: adeoque cum illa in iis ludis occidenda columba proponebatur, ipsi quodammodo Veneri videbatur immolari, cui carissimus fuerat, vt in fabulis accepimus, Anchises.

Finis Libri Quinti.

LIBRI SEXTI AENEIDOS

LOCVS PRIMVS.

DE NAVIVM HABENIS.

AN EA METAPHORA CONVENIAT in rudentes.

Sic fatur lacrymans, classique immittit habenas.

HAS aliqui non probant habenas naui tributas, quæ funes, & rudentes habet è stupa, non ex corio lora, cuiusmodi sunt habenæ. Itaque Ioan. Baptista Pius cum classis habenas audacius dici pro retinaculis, & funibus existimaret, instítit altius repetere principium, affirmans, habenas classis à Virgilio dictas idcirco esse, quòd antiquissimis illis temporibus nauium retinacula, & rudentes, non quidem ex torta cannabe, vel lino, sed ex corio fierent: idque Homerum ipsum docere planissimè; apud quem naues ligantur πρωτοῖσι βοέοισι, hoc est vinculis intortis, siue vinculis bubulis. Atque ita prorsus Pius explicat hos Valerii Flacci versus in Argonauticorum lib. primo.

Ecce autem molli Zephyros descendere lapsu
Aspiciunt: volat immissis caua pinus habenis.

Consentit cum Pio Valerianus Pierius in lib. Hieroglyphicorum xlviii. cap. de froeno, docens, funes ex corio primum fuisse factos; testemque profert Virgilium, qui propterea classis dixerit habenas, Homerum secutus, & consuetudinem perantiquam.

Alii etiam longius abiere, in primisque Gulielmus Modicius; qui cum retinacula classis ex corio non probaret, dixit hìc esse metaphoram nouam, atque ab vsu abhorrentem communi, hoc est, habenas à Virgilio positas esse pro clauo, & gubernaculo nauis. Cum enim Palinurus à Somno datus in præceps reuulsum clauum secum in vndas pertraxisset, Aeneas sensit nauem amisso gubernaculo, & gubernatore fluitare; vt dicitur in fine lib. iii. Itaque regendæ curam nauis ipse recepit in se; idque vt facere posset commodius, clauum naui nouum immisit: & quemadmodum equus frœno regitur, & habenis, sic ille immisso gubernaculo nauem direxit. Ita, inquam, Modicius habenas classis interpretatur ex noua metaphora.

Possem hic ego dicere, Virgilium illa vsum esse licentia, quæ antiqua nomina pro nouis vsurpat, vt paulo ante docuimus, hoc est, habenas posuisse pro funibus, quia loris, habenisq. ad moderandas, ac regendas naues vtebantur antiqui. Sed non hoc ij contendunt, qui retinacula illa ex corio iam inde repetunt ab Homero. Putant enim Virgilium proprie loquutum: cum eorum describat nauigationem, qui prisca illa ætate corio, non funibus vtebantur. Ego verò aliter existimo: cum videam, sæpe nautas apud Virgilium tortos incidere funes, & adducere, aut laxare rudentes. Quod si docere illa metaphora voluisset, loris esse tunc vsos nautas ex corio, numquam opinor dixisset funes, sed semper lora, vel habenas. Credo igitur equidem, ac video, metaphoram hìc esse, sed non eam, quam comminiscitur ex ingenio Modicius. Quamquam enim gubernaculum nauis translatè dici fortasse potest froenum, aut habena; nimis tamen è longinquo Virgilianæ illius metaphoræ causam, & etymon petimus, quod duci potest ex magis propinquo. vt si dicamus, illas classi habenas immissas, laxatasq. ad nauigandum nihil aliud esse, quàm funes, quibus velum regitur, & anchora. Hac enim ratione propter illam, quam habet nauis cum equo similitudinem, metaphora multo videbitur esse verecundior, & mollior, quàm cum flammæ licenter, liberèq. vagantes per nauium tabulata, dicuntur habenæ in Aeneid. v.

-------- Furit immissis Vulcanus habenis
Transtra per & remos, & pictas abiete puppes.

aut cum ipsi palmites, & flagella eadem appellatione translata in lib. ij. Georg. sic exprimuntur.

--------- Et dum se lætus ad auras
Palmes agit, laxis per purum immissus habenis.

Quæ translatio sumpta est haud dubie à Lucretio; qui arborum summa, supremosq. ramusculos, & frondes habenas dicere non dubitauit.

Arboribusq. datum est, varijs exinde per auras

Cre-

Crescendi magnum immissis certamen habenis.

Sic igitur statuo: Virgilium hic nullas habenas ex corio significare, sed tantum attollere orationem voluisse beneficio eius metaphoræ, quæ habenarum nomine funes indicaret; gnarum præceptionis, quæ tradita est ab Aristotele, cum dixit, dictionem poëtarum neque humilem esse debere, nec nimis elatam, idque illos consequi interiecta subinde metaphora, quæ attollat, subleuetq. propriorum verborum humilitatem. Ita enim fiet, vt oratio à propriis verbis puritatem, à translatis magnificentiam habeat, vtrisq. permistione illa callidè, artificiosèq. temperatis.

LOCVS II.

DE MONSTRIS INFERORVM.

An supra fingendi leges poetæ præscriptas effecta sint.

Centauri in foribus stabulant, Scyllæq. biformes,
Et centumgeminus Briareus, ac bellua Lernæ
Horrendum stridens, flammisq. armata Chimæra,
Gorgones, Harpyiæq., & forma tricorporis vmbræ.

Quoniam hic Harpyiarum est mentio, suffragabitur hæc disputatio etiam Harpyis illis, quæ finguntur in tertio libro tam infestæ Troianis, cum quærimus, an hæc Inferorum monstra supra fingendi facultatem, ac veniam permissam poëtis, à Virgilio fuerint excogitata. Ac iure quidem ea de re dubitare debemus, cum recordamur, illam fingendi licentiam intra certos cancellos ita concludi, vt credibilem esse rem oporteat, quam comminiscimur. Quì verò fiet, vt credibilia, & verosimilia sint ea monstra ex animantium conflata partibus, non modo variis, sed omnino contrariis, atque pugnantibus? cuiusmodi sunt Centauri, Scyllæ, Harpyiæ, Hydræ, Gorgones, Chimeræ, Briarei.

Video me redigere debere in legentium memoriam vnum, quod sæpe significauimus: apud poëtas non abhorrere à verosimili quicquid est falsum: multitudini enim sæpenumero sic probantur falsa, vt hæc illi multo verisimiliora videantur esse, quàm vera. Cum autem aliquid eiusmodi poëtis occurrit, vt re quidem ipsa falsum sit, sed multitudini, ac vulgo maxime credibile, docet Aristoteles, id potius, quod fal-

sum est, sed populo credibile, quàm quod est verum, sed incredibile multitudini, sequendum esse. Hæc eius verba sunt in cap. xxiij. sub finem. Quantum vero ad poësim attinet, credibile potius, licet fieri non queat, eligendum est, quàm incredibile, licet fieri queat.

Id videlicet sibi proposuit Virgilius, cum ea monstra commentus est, quæ ab omni prudentium fide abhorrentia, & videntur, & sunt. Intelligebat enim ita populo de mõstris illis opinionem fuisse iam insitã, vt nõ tam doctrina, quàm naturæ quadam anticipatione credere viderentur omnes, Gorgones apud Inferos esse, Cerberum Harpyias, Briareum. Itaque non potuit ea præterire is, qui Aristotelis præterire præceptionem noluit. Aristoteles autem falsa potius, quæ populo credibilia sunt, quàm vera, sed eidem incredibilia populo, deligenda, atque à poëtis fingenda esse confirmat.

Quin adiungere possumus Aristoteli Platonis auctoritatem: quæ multo maxime Virgilium tueatur. Is enim in Sophista duas facit poëticæ formas, εἰκαστικὴν καὶ φαντασικὴν, Icasticam, & Phantasticam. Et Icasticam quidem earum ait esse rerum imitatricem, quæ veræ vel sunt, vel esse possunt, vel aliquando fuerunt: Phantasticam vero earum, quæ pro arbitratu finguntur; sed veræ nec sunt, nec fuerunt, nec esse possunt. Phantasticæ figmentum à Suida dici videtur Idolum; Icasticæ, similitudo: sic enim de vtraque scriptum aliquo loco reliquit. εἴδωλα μὲν γὰρ τὰ παρ' ὑφεστώτων μιμήματα. οἷον τρίτωνες, καὶ σφίγγες καὶ κένταυροι. ὁμοιώματα δὲ τὰ παρ' ὑφεστώτων εἰκάσματα. οἷον θηρίον, καὶ ἀνθρώπων. hoc est. Idola sunt rerum numquam existentium effigies, cuiusmodi sunt Tritones, Sphinges, Centauri. similitudines autem sunt rerum existentium simulacra: veluti ferarum, hominumue.

Quibus ita positis, id dico: Virgilium, quoniam absolutum, perfectumq. moliebatur omnibus partibus opus, non satis habuisse Icasticam illam tractare, quæ res aspectabiles, verèq. existentes imitatur, sed addere præterea voluisse Phantasticam; ex qua, propter eam, quam parit, admirabilitatem, amplior ad legentium animos voluptas emanaret; & propter rei nouitatem, auctoris commendatio maior enasceretur. Nam quemadmodum Apelles, tum potissimum cœpit haberi, dicique diuinus, cum, vt ait Plin. ausus est imitari coloribus, ac penicillo quæ pingi non posse videbantur, tonitrua, fulgetra, fulguraq.: sic poëtæ tum maxime suspiciuntur, cum illa etiam exprimunt, quæ quoniam non sunt, nec esse queunt, naturam, vt exprimi poëtica imitatione possint, non videntur habere. Quin imitatus mihi videtur Virgilius in his exprimendis vulgaribus monstris Neaclem illum pictorem: qui cum expingere graphicè vellet naualem quandam pugnam inter Aegyptios, Persasque initam olim, & perfectam in Nilo, nec posset vllis coloribus distinguere, ac differentes facere à marinis fluctibus

bus eius aquas fluminis, pinxisse fertur in littore Crocodilum bibenti Asino molientem insidias inter vluas: vt qui tabulam aspicerent, ex eo intelligerent signo illam pugnam in Nilo, non in mari commissam fuisse. Hunc, inquam, mihi videtur secutus pictorem Virgilius, cum incredibilia illa monstra apud Inferos etiam ipse collocauit, quæ ibidem ponebantur ab alijs. Cum enim videret populum putare, ac credere, sic ea monstra in latibulis Inferorum esse, quemadmodum in Nilo sunt Crocodili, Inferorum loca, atq. supplicia ex iis monstris, tamquam ex proprijs quibusdam signis intelligi voluit. Nam ignis, tenebræ, antra, cetera, quæ poëta commemorat, alijs quoque conuenire facile possunt locis: sed ea monstra sic in Inferos cadunt, vt magis Inferorum propria esse videantur, quàm Nilo conueniant Crocodili. Quare ipsi etiam rerum sacrarum interpretes, & Christiani scriptores ad eadem monstra confugiunt cum Inferorum supplicia volunt expressè describere, nec dubitant Tartarum, Stygem, Acherontem nominare. Ne absorbeat eas Tartarus, publicè canitur in Iustis Ecclesiæ: diciturq. amplius à Prudentio in Hymno Paschali.

Sunt & Spiritibus saepe nocentibus
Pœnarum celebres sub Styge feriæ
Illa nocte, sacer qua redijt Deus
Stagnis ad superos ex Acherontijs.

Sciunt hi nostræ religionis antistites, quàm sint ea nomina mendacia, & vana; sed vident, se vix posse populis exprimere vera Inferorum supplicia, nisi tamquam Nilo Crocodilos, sic illa celebrata scriptis antiquorum nomina Inferis ipsis apponant.

LOCVS III.

DE PORTV VELINO.

An Velinum dicere portum fas tunc fuerit, cum nullus esset Velinus.

Eripe me his inuicte malis: aut tu mihi terram
Injice: namque potes, portusq. require Velinos.

Palinurus est, qui sic loquitur, & compellat Aeneam. quo magis existimant Critici, Virgilium errasse, cum eum Velinos portus nominantem inducat; qui multo iam ante fuerat, quàm illud Velini nomen inuentum esset. Velia enim oppidum, à quo proximum ei portum

Velinum

Velinum hìc dixit, Seruio Tullio Rege, hoc eſt poſt annum amplius ſexcenteſimum, quàm Aeneas in Italiam venit, conditum eſt in agro Lucano, vt docet Gell. lib. 10. cap. xvi. Putat ergo Caſteluitrus hìc erratum eſſe ſupra veniam, nec minus quàm peccatum à Plauto ſit in Amphitruone. vbi Amphitruo ipſe, & Soſia, nondum nato Hercule, per Herculem iurant. Sic enim Soſia loquitur Act. 1. ſcen. 1.

Oppidò interij, obſecro hercle quantus, & quàm validus eſt.

Et Amphitruo Act. ij. ſcen. prima, eundem Herculem ita iureiurando teſtatur.

Iam quidem hercle ego tibi iſtam
Sceleſtam ſcelus linguam abſcindam, &c.

At Hercules, ea ipſa nocte non quidem naſcitur, ſed concipitur vtero ab Alcmena ex Ioue, qui partes agit primas in ea Fabula. Simile volunt erratum in Electra Sophoclis eſſe: vbi Clytemneſtræ nunciatur, Oreſtem in Pythijs ludis occidiſſe, qui tamen ludi inſtituti ſunt Triptolemi temporibus, hoc eſt annis prope ſexcentis poſt natũ Oreſtem.

Hæc difficultas explanari ſic poſſet, quemadmodum explanatæ permultæ ſunt per anachroniſmum, ſiue per προλημψιν, hoc eſt per anticipationem: quæ licentia ita ſimilis eſt anachroniſmo, vt ab eo differre tantum nomine videatur. Cum enim vocabulis appellamus nouis aliqua, quibus nondum vllum eſt nomen impoſitum, id anticipamus, quod poſtea factum eſt, ac propterea eiuſmodi licentiam, anticipationem, aut præſumptionem nominamus. Differt tamen ab anachroniſmo, quòd anachroniſmus non modo nouum nomen vſurpat pro antiquo; verum etiam antiqua nomina ſubſtituit nouis: anticipatio vero noua tantum tribuit rebus nomina, quæ antiquis temporibus ijs data non erant. Quo fit, vt latius pateat anachroniſmus, quàm anticipatio: cum quælibet anticipatio ſit anachroniſmus, non tamen omnis anachroniſmus anticipatio ſit. Cum enim antiqua nomina, & iam obſoleta ponit pro nouis, nihil anticipat, ac propterea anticipatio dici non poteſt, vt cum ocreæ ſtanneæ pro ferreis dicuntur. Itaque liceret hìc reſpondere, Velinos portus dictos eſſe κατὰ πρόλημψιν, per anticipationem, hoc eſt eo plane modo, quo dicta ſunt littora Lauina, antequam Lauinium oppidum poſitum eſſet; & arx Chalcidica prius, quàm Chalcide eò deducta Colonia fuiſſet, quæ Cumis eam appellationem impertiuit.

Chalcidicaq. leuis tandem ſuper aſtitit arce.

Neque enim quo tempore Dædalus è Creta in Italiam aduolauit, Cumæ conditæ fuerant à Chalcidenſibus, & tamen Chalcidenſes dici potuerunt per anticipationem Cumani, quia poſtea à Chalcidenſibus vrbem, ac gentem accepere.

Poſſemus, inquam, ſic, vt diximus, obiecta diluere, & Caſteluitri cenſo-

censoriam virgulam declinare, nisi nobis hoc effugium clausisset Iulius Higinus apud Gell. illo lib. x. cap. xvi. his plane verbis. Poëtis concedi solet κατὰ πρόληψιν historiæ dicere ex sua persona, quæ facta ipse postea scire potuit. Sicut Virgilius sciuit de Lauinio oppido, & de Colonia Chalcidensi; sed Palinurus quì potuit scire ea, quæ post annos sexcentos facta sunt? Hæc ille; in eo demum situm esse peccatum inexpiabile ratus, quòd Virgilius non ipse quidem anticipatione vtatur, sed anticipatione vtentem inducat Palinurum. Quod si dicas, Palinurum, qui erat apud Inferos, potuisse diuinare, ac prouidere, locum illum post tam multos annos appellandum esse Velinum, hunc etiam tibi obstruet aditum Higinus ab Aenea, qui non erat diuinus, adeoq. scire non poterat quem ille designaret locum, cum portus Velinos nominabat. nisi quis eum diuinasse apud Inferos putet, inquit, perinde, vt animæ defunctorũ solent. Sed si ita accipias, quamquàm non ita dicitur, Aeneas tamen, qui non diuinabat, quo pacto potuit requirere portum Velinum, cui nomen tunc nullum vsquam fuit? Ita locum illum vexat Higinus; contenditque Virgilium eundem locum fuisse correcturum, nisi morte occupatus, interceptusq. fuisset. Sed quoniam agitur coniecturis, crediderim ego, Virgilium, si superstes fuisset, locum illum non fuisse castigaturum: nec video tam obiecta difficultatibus esse omnia, vt euadere tandem ductu præsertim doctorum hominum ab hac salebra non possimus.

Nam primo quidem Turnebus in lib. xxij. cap. j. ad vocabuli notationem conuersus, existimat Velinum non proprium aliquod esse nomen, sed nominis aliquod adiunctum; ac significare palustrem. Velinum enim ab ἕλος duci putat: quæ vox apud Græcos palustre significat. Itaque ex Turnebi sententia portum requirere Velinum, nihil aliud est, quàm portum requirere palustrem. sed adhuc hærebit nihilominus incertus Aeneas, vbi nam gentium requirendum sit Palinuri corpus: cum palustres portus plurimi sint, nisi fortasse is, qui Velinus postea portus fuit, ea tempestate proprio diceretur nomine Palustris. verùm hoc a nemine traditum accepimus. Seruius enim docet quidem, Veliam vrbem dictam Eleam à paludibus, quas Græci dicunt ἕλη, sed dictam proprio, vulgarique nomine Palustrem non confirmat.

Iulius Scaliger in lib. iij. cap. xlix. putauit exitum inuenire se posse à præsumptionis, anticipationisq. partitione multiplici. Ait enim triplicem anticipationem esse; grammaticam, poëticam, oratoriam. poëticam rursus esse duplicem; vnam, quæ personæ, aut loco tribuit aliqua, quæ, neque personæ, neque loco, illo ipso tempore, conueniant. vt si dicam, inquit, expugnatum oppidum bombardis Aeneæ tempore, πρόληψις erit, siue præsumptio, propterea quòd, quæ tormenta bellica sic vocant, tunc non erant. Alteram anticipationis formam ait esse

esse duriusculam : vt cum poëta personæ orationem attribuit, alicuius rei mentionem facientem, quæ nondum est, aut, si est, eo nomine non appellatur. Exempli gratia, inquit, Palinurus Aeneam rogat, vti suum corpus afficiat sepultura, designatque locum.

----------Portusque require Velinos.

portus quidem non erat : certè aliud illi nomen fuit. *Est* igitur anticipatio ; quia Virgilij tempore sic nominabatur. durior tamen est, quippe loquitur Palinurus, cui orationem è re ipsa, quæ tempestati conueniret, attribui necesse est. Hæc his verbis docet eo loco Scaliger. sed obicem nobis oppositum non exturbat. Cum enim fas esse poëtis anticipatione tunc etiam vti, cum loquuntur mutati, hoc est, cum alios colloquentes inducunt, idcirco putet, quòd Virgilius ita Palinurum loquentem, & anticipatione vtentem fecerit, institutam quæstionem non profligat. Id enim quærimus; an Virgilio licuerit ex Palinuri persona præsumptionis illam licentiam vsurpare : loquitur videlicet Palinurus, qui de portu Velino nihil acceperat, videturq; propterea à ratione maximè alienum ijs congruentem orationem non dare, quos agentes, & loquentes inducas, vt apud Gell. contendit Higinus.

Confidentius igitur difficultati occurrit Iouianus Pontanus in Antonio. Dicat mihi velim Higinus, inquit, cur non etiam accuset Virgilium, quòd Aeneam, qui Troianus esset, latinè loquentem faciat. Facessat ergo diligentia tam accersita, & huiusmodi multa permittantur poëtis, in quæ etiam volentes incidunt, non rerum ignorantia decepti. Ita rem ipsam rectà petit Pontanus: & quidem acutè. Neque enim plus à verosimili distare videtur oratio Troiani Palinuri latina, quàm ea mentio Velini portus, qui nondum esset. Sed tamen longè inter se differunt hæc duo, quæ tam similia vult esse Pontanus. Inducere quippe loquentes latinè, qui barbare sunt re ipsa locuti, nihil est aliud, nisi latine reddere, quæ illi dixerunt barbarè. Neque enim affirmat poëta, Aeneam, & Palinurum locutos esse latinè: sed latinè narrat quæ illi barbarè protulerunt. Cum autem Palinurus inducitur, portus Velinos, qui nusquam essent, appellans, affirmat poëta id dixisse Palinurum, quod dicere, ac loqui non potuit; eamque tradit orationem fuisse Palinuri, quæ, si rationem temporis habeas, esse non debuit.

Vincit igitur omnes Virgilij patronos Iurisconsultus Alciatus in lib. v. Parerg. cap. xxi. qui tametsi præsumptionis beneficio, atque licentia sibi viam aperuit ad euadendum ; singulari tamen ratione præsumptionem ipsam explanat, hoc est eo ferme modo, quo apud Iurisconsultos vsu quotidiano tractatur. Regula, inquit, Iuris nostri certissima est, ex præsenti in præteritum præsumi : vt scilicet quod

hodie

hodie est, & olim fuisse credatur. Cui locum esse in ijs tradiderunt, quæ verisimiliter mutationis alicuius periculum non subeunt. Qui ergo fluuij, vel montes nunc sunt, etiam ab orbe creato verisimile est fuisse. qua ratione præstantissimi poëtarum P. Virgilij aduersus quosdam Grammaticos patrocinium ego suscipiam. Scribit Aulus Gellius, reprehensum à Iulio Higino Virgilium, quòd ex persona Palinuri dixerit,

Portusque require Velinos.

Atqui, inquit ille, constat Veliam oppidum post multos, quàm Palinurus decesserat annos, conditum fuisse. Eodem argumento Seruius vtitur cum Virgilius, ex persona Aeneæ, inquit.

Apparet Camarina procul campique Geloi,
Immanisque Gela fluuij cognomine dicta
Arduus inde Agragas &c.

Atqui, ait ille, hæc oppida Aeneæ tempore nulla erant, cum constet, multos deinde post annos ædificata fuisse. Respondeo. non de ipsis oppidis loquitur Maro, sed de campis, & fluminibus, quæ procul dubio semper fuerant. Veliam à fluuio eam præterfluente dictam esse auctor est Stephanus in dictione ἐλέα. vt rectè possimus portum intelligere, quē fluuius ille facit. sic & Camerina palus, sic Gela, & Agragas. Etenim plurimæ Siculorum vrbes à fluminibus nomen sumpserunt. vt Syracusæ, Gela, Imera, Selinus, Phenicois, Eryce, Camarina, Agragas.

Placuit non ad verbum modo sed prope syllabatim Alciati responsum, sententiamque proferre: quia nefas est Iurisconsultorum apices, ac puncta mutare. Et quoniam tam bonum, depulsis ab hac aduocatione ceteris, patronum Virgilio dedimus, de nostro nihil addamus: sed quod ab eo dictum est pluribus, breuissime comprehendamus, affirmantes, Velinos portus fuisse ante conditum oppidum Veliam, quia portus loco, planèque pro portu, fluuius erat Velia, à quo tandem oppidum ipsum postea nomen accepit. Cum enim tradat Stephanus, huiusmodi fuisse ibi fluuium, antequam excitaretur oppidum, nihil temerè dicimus, cum affirmamus, eum fluuium fuisse pro portu, ac portum appellatum, ante conditum oppidum.

Quin illud etiam dico, apertam nobis fuisse, traditamque ab Alciato pulcherrimam verosimilis poëtici rationem, ac formam per comparationem illam præsumptionis Iurisconsultorum cum præsumptione, atque anticipatione poëtica. Est enim illorum præsumptio coniectura quædam ex præsentibus in præteritum. qua ex coniectura, & præsumptione vult intelligi, licere etiam poëtis ponere, atque habere pro præteritis, quæ vident præsentia, in ijs præsertim, quæ obnoxia mutationi non sunt; cuiusmodi scimus esse flumina.

Quod

Quod si dicas, licuisse quidem Virgilio, qui præsentem haberet portum Velinum, conijcere de præteritis, & statuere, portum illum antiquissimis etiam fuisse temporibus; aut certè fluuij littus, & alueum fuisse pro portu; sed non licuisse Palinuro, qui portum eiusmodi præsentem nullum videt: si hæc, inquam, opponas, responderim, non præsumere Palinurum quicquam, sed Virgilium ipsum præsumere, atque conijcere de portu. qui cum videret ex præsenti facile se posse coniecturam capere de præterito, ac ponere, portus Velinos antiquitus quoque fuisse, quia semper fuit fluuius Velia, Palinurum, cuius ætate fluuius ille & erat, & portus exhibebat vsum aliquem, portus Velinos iure nominantem facere potuit. Erat enim tunc eiusmodi portus, vel pro portu fluuius Velia, à quo tum etiam dici Velinus potuit. Nulla igitur est præsumptio Palinuri: quippe qui de re præsenti loquitur; sed poëtæ anticipantis, & Iurisconsultorum more coniecturam facientis, in ostio fluminis Veliæ aliquem tunc fuisse sinum, qui diceretur Velinus, & vulgò pro portu ab omnibus haberetur; quia sua ætate videt esse portum Velinum, factum ab ijs Veliæ conditoribus, de quibus commemorat Gellius. non enim hæc præsumptio potest esse nisi de præteritis ex re præsenti. Palinurus verò ex præsenti portu nõ præsumit, nec conijcit de præteritis, sed, vt ante dixi, loquitur de præsenti fluuio, sinuque Velino: cum excitatum illud oppidum, & portum factum non viderit, qui postea conditus est. Si quid ergo præsumitur hic, à Palinuro non præsumitur, qui portum illum postea conditum, præsentem non habet; sed à Virgilio, qui & eum præsentem habet, & ex eo conijcit de præterito; ideoque ita loquentem Palinurum facit, quasi semper ille fuerit portus, & Velia.

LOCVS IV.

DE THESEO APVD INFEROS

An secum ipse pugnet in eo figmento poëta.

---------- Quid Theseа? magnum
Quid memorem Alcidem? &c.

His Aeneae verbis, alijsque, quae postea protulit Charon, videtur haud dubie Virgilius significare, Theseum ad Inferos quidem cum Pyrithoo descendisse, sed redijsse tamen. ijs enim eum adnumerat, qui reuerterunt ad Superos.

Si

Si potuit Manes arcessere coniugis Orpheus,
Si fratrem Pollux alterna morte redemit,
Itque, reditque viam toties. quid Theseа? &c.

Contra vero paulo post planissimè canit, Theseum apud Inferos esse retentum, nec inde in posterum vnquam euasurum.

----------Sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus.

Hac permotus repugnantia ille idem Higinus apud Gell. lib. x. cap. xvi. accusat amplius Virgilium: & locum hunc item correcturum fuisse credit, si per vitae spatium licuisset. Quì autem fieri potest, inquit, vt aeternùm sedeat apud Inferos, quem supra cum ijs nominat, qui descenderint illuc, atque inde rursus euaserint? praesertim cum ita sit fabula de Theseo, atque sic Hercules eum euellerit è petra, & in lucem ad superos eduxerit.

Vidit sanè Seruius hunc scopulum; quem ita praeternauigat. *Sedet, aeternùmq; sedebit Infelix Theseus.* Contra opinionem inquit. nam fertur ab Hercule esse liberatus, quo tempore eum ita abstraxit, vt illic corporis eius relinqueret partem. frequenter enim variant fabulas poëtae. Hippolytum ab Inferis liberatum Virgilius dicit; Horatius contra.

Neque enim Diana pudicum
Liberat Hippolytum.

Existimauit, inquam, Seruius, ita se difficultatem omnem exhausisse; sed non vidit, Virgilium non tantum immutare fabulam, sed etiam pugnantia loqui. quippe qui paulo ante numerasset Theseum inter eos, qui reuertissent ab Inferis, postmodum dixerit:

------Sedet, æternumque sedebit
Infelix Theseus.

Aristotelem ergo certissimum oraculum consulamus. qui nos admonet, vt, cum aliqua esse videntur apud poëtas inter se pugnantia, ea sic exploremus quemadmodum explorare soliti sumus sophismata: videamusque diligenter, num idem sit, de quo est sermo, an ad idem referatur, an eodem modo se habeat. Ita enim in Defens. xv. diximus ex Arist. Nostrum itaque nunc erit exquirere, quoniam idem est Theseus, de quo poëta loquitur vtrobique, an ad idem referatur, & eodem se habeat modo. Si Theseum ad tempora referamus varia, inueniemus vtrumque de eodem dici à poëta potuisse: liberatum nimirum fuisse ab Inferis, & sedere in ijsdem, æternùmq; sessurum. Quam tollendæ, vel conciliādæ repugnantiæ rationem, quia ignorant Grammatici, turbas faciunt in Martialem, quòd Saturnales dies quodam loco dixerit septem.

Septem Saturni venerat ante dies.

alibi

alibi verò quinque.

Dum toga per quinas gaudet requiescere luces,
Hos poteris cultus sumere iure tuo.

Sed si tempora consulant varia, apud Macrobium exposita, intelligent, quibusdam temporibus Saturnales dies fuisse tres, alijs quinque, alijs denique septem.

Igitur in hanc temporum varietatem intuiti, id de Theseo statuamus, quod accepimus ab Apollonij Rhodij Scholiaste, qui sic loquitur. Theseus, & Pyrithous, Iouis hic, ille Neptuni filius, similia quædam aggressi facinora sunt. Nam Theseus cum rapere vellet Helenam, quam deperibat, adiutorem habuit Pirithoum: Pirithous contra, Proserpinam abducturus, socium item sibi voluit, & adiunxit Theseum. Cum igitur hi per Tænarum ad Inferos descendissent, saxoque insedissent obuio ad capiendam quietem, eo damnati supplicio sunt, vt inde se mouere, ac conuellere non potuerint. Sed cum Hercules postea eò deuenisset ad extrahendum Cerberum, Theseum quidem liberauit, ac saxo diripuit; Pirithoum verò, quòd auctor eius temeritatis fuisset, suoq. ad rapiendam Proserpinam iudicio, & voluntate descendisset, liberare supplicio, atque à lapide diuellere non potuit.

Ex hac huius narratione Interpretis intelligimus quidem egressum ab Inferis esse Theseum beneficio Herculis, sed illud tamen addere debemus, ac pro comperto ponere, iterum Theseum ad Inferos iuisse post obitum, ibique dedisse, ac dare pœnas flagitiorum suorum; non temeritatis illius modò, cuius supplicio liberatus ad tempus ab Hercule fuerat, sed aliorum quoque scelerum, in primisq. impietatis, & crudelitatis in filium Hippolytum, quem immerentem interfecerat. Ex hoc ergo tempore, eidem lapidi, à quo diuulsus olim fuerat, iterum illigatus post obitum, sedet, æternumq. sedebit. Atque hoc ipso modo de controuersia, quam habemus in manibus, Alciatus idem à me alibi laudatus decernit in Parerg. lib. x. cap. viij. cuius hic verba non subiungo: ne videar, etiam vbi necesse non est, eum Iurisconsultum velle in rem præsentem aduocare.

LOCVS V.

DE DIDONE APVD INFEROS.

An collocari debuerit inter eos, qui necem sua sibi voluntate, manuque consciuerant.

Instituitur à nobis hæc quæstio, quia poëta certum designat apud Inferos locum ijs, qui se ipsos interfecerant; quibus enumerandis, Didonem illam præterit nobilem, quæ sibi manus attulit exitiales, suoque iudicio mortem inter flammas oppetijt.

Proxima deinde tenent moesti loca, qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemq. perosi
Proiecere animas. quàm vellent aethere in alto
Nunc & pauperiem, & duros perferre labores.

Quærimus, inquam, cur Dido hoc ipso præterita sit loco, quem sibi vindicare propriè posse videbatur: sit autem inter amantes potius in lugentium campis collocata.

Nec procul hinc partem fusi monstrantur in omnem
Lugentes campi. sic illos nomine dicunt.
Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti cælant calles, & myrtea circum
Silua tegit: curæ non ipsa in morte relinquunt.

Et paulò post.

Inter quas Phoenissa recens à vulnere Dido
Errabat silua in magna, &c.

Haud exiguam id admirationem attulit viris doctis, sed eam illis eripit Iacobus Mazonius ex auctoritate Platonis, quem in toto sequitur opere Virgilius, vt benè longis est à me disputationibus in orationum primo volumine demonstratum. Sic igitur, illo viam præmuniente, hac de tota re ingredior dicere.

Summa quædam inter Platonicos est quæstio, an Plato censuerit, aliquando licere homini sibi mortem afferre. Negant Porphyr. ac Macrobius, hanc veniam vmquã homini dedisse Platonem, vt mortem accersere, ac conuenire suo iudicio cum laude possit. Sed Plotinus lib. ix. Enneade prima, & Olympiodorus omninò volunt, Platonem existimasse, fas homini esse mortem sibi aliquando consciscere. In hanc videlicet sententiam illa verba Platonis in Phædone interpretantur.

Fortasse igitur hac ratione haud præter rationem est se ipsum interficere: non tamẽ prius, quàm necessitatem aliquam imposuerit Deus. En, inquit Olympiodorus, quemadmodum Plato docet, interdum licere sibi manus afferre, vbi necessitas id ferat. Atque vt ipsum designet temporis articulum, in quo ius hoc homini esse contendat Plato, ait, hominum vitam similem esse conuiuio, quod nobis, ex omnium vsu rerum, diuina parauerit beneuolentia. Quemadmodum ergo conuiuia, vel abrumpuntur, vel absoluuntur quinque potissimum ex causis, sic tempora item quinque incidere credit Olympiodorus, quibus temporibus liceat è vita tamquam è mensa discedere.

Primam interrumpendi conuiuij causam accidere tum ait, cum Princeps, ac dominus interuenit, atque apud nos diuertere hospitio vult. Decet enim, ac prorsus oportet, mensam relinquere, vt Regi sternatur, ac seruiat. Ita planè censet Plato, inquit Olympiodorus, vitam deserere fas esse, cum Reip., cuius summa tenetur in Principe, id vtile futurum intelligimus. Idcirco nimirum aliqui laudantur à veteribus, quòd pro patria mortem oppetere summa sua sponte voluerint: qualis apud Romanos est Curtius, apud exteros ille Menoeceus Thebanus adolescens Creontis filius: quem pro patriæ salute sanguinem vltrò profundere voluisse canit, & commemorat Statius in Theb. x.

Sic ait, insignemq. animam mucrone coruſco
Dedignantem artus pridem, moestamq. teneri,
Arripit, atque vno quæsitam vulnere rumpit.
Sanguine tunc spargit turres, & mœnia lustrat,
Seque super medias acies, non dum ense remisso,
Iecit, & in sæuos cadere est conatus Achiuos.
Ast illum amplexæ Pietas, Virtusq. ferebant
Leniter ad terram corpus. iam spiritus olim
Ante Iouem, & summis apicem sibi ponit in astris.

Secundam interrumpendi conuiuij iustissimam causam è discordia, aut digladiatione rixantium inter se conuiuarum ait interdum existere. Præstat enim tunc, primo quoq. tempore conuiuium soluere: ne altercantibus illis tamquam arenam, & campum suppeditare videamur. Huic similem item causam idoneam ad vitam intercidendam esse confirmat ex Platone; cum videlicet intelligit aliquis, se materiem, ac fomitem esse rixarum, digladiationum, certaminis, belli. Hoc nomine suspicitur ab antiquis Otho ille, qui vt bella ciuilia funditus tolleret, vitam protinus extirpauit à se, quam ciuilis contentionis esse causam intelligebat. Ita quippe Martialis in libro sexto.

Cum dubitaret adhuc belli ciuilis Enyo,
Forsitan & posset vincere mollis Otho,
Damnauit multo saturatum sanguine Martem,

Et

Et fodit certa pectora nuda manu.
Sit Cato dum viuit sane, vel Cæsare maior,
Dum moritur numquid maior Othone fuit?

Tertium tollēdi conuiuij tempus putat esse, cum conuiuæ sunt ebrij. Tunc enim minimè decere videtur, eos amplius esse super mensām, qui ex ebrietate à sensibus iam alieni, sui compotes, & rationis non sunt. His ergo conuiuis ebrijs non Olympiodorus modo, verum etiam Plotinus comparat eos, qui aliqua perturbatione animi, affectuq. sic tenentur, & concitantur, vt à sensibus, & ratione alienati videantur. quo tempore putant ex Platonis sententia licere vnicuiq. sibi vitam extinguere.

Quartum tempus excedendi de conuiuio tum esse dicunt, cum ipsi conuiuæ in suspicionem iam venerunt veneni, vel epulis admisti, vel poculo diluti. Nam quia periculum est, ne singuli ea veneni peste corripiantur, par est, omnes compotationem, epulasq. deserere. Hac similitudine demōstrat Olympiodorus quartam accersendæ sibi mortis probabilem causam à Platone desumptam in libris de legibus. quam tum ait accidere, cum aliquis scelere quopiam inexpiabili se pollutum intelligit, à quo periculum est, ne ceteri quoque polluantur, & incestentur. Videt enim tunc, ciuitatis se membrum esse tabidum, ac corruptum, adeoq. rationi consentaneum putat, à societate tamquam à corpore se ipsum excindere; ne ceteri quoque contagio tabescant, & corrumpantur. Huiusmodi nimirùm sunt Oedipi illi in Antiquorum Tragoedijs, & furentes Alcmæones, aut Orestes: qui cum se contaminatos incestu, aut parricidio vident, ad mortem tamquam ad perfugium ruunt, seque ipsos exsecant à reliquis, ne contagione cetera membra ciuitatis inficiant. Putabant enim veteres illi superstitiosi homines, aliqua esse huiusmodi peccata, quæ alios etiam quātumuis innocentes inquinarent; quæque nulla extergi possent expiatione sacrorum.

Quintus terminandi conuiuij locus est, cum epulæ iam desunt, aut malè nos habere, & ægrotare super mensam incipimus. Quà ex comparatione vult Olympiodorus intelligi, tum licere nobis vitæ nostræ finem imponere, cum ipsi vitæ degendæ res necessariæ desunt, cum in postrema rerum inopia, & paupertate versamur, aut morbis, doloribusq. impatibilibus ita premimur, vt nulla vitæ commoda percipere possimus in posterum, nec ciuibus vllam vtilitatem afferre. Id existimat omnino Platonem docere in iij. lib. de Rep. cum disputat aduersus Herodicum, diæticæ medicinæ primum auctorem. Videtur enim ibi Plato id ciuibus consilij dare, vt cum vident se propter insanabiles morbos inutiles esse ciuitati, volentes, prudentesq. vita se priuent: certe vetat medicos ad eos accedere, & quantum potest ab ea mor-

borum, morbosorumq. ciuium curatione deterret. Verba Platonis hæc sunt. Homines autem,& natura,& intemperantia morbosos viuere,neq. ipsis,neq. alijs conferre putabant, neque circa illos versari oportere,neq. esse curãdos,etiamsi Mida ipso locupletiores essent. Ita Plato. Hac nimirum ex causa Philostratus in vita Sophistarum,Dio in Hadriano,Suida,Plinius Iunior, alijque summopere laudant Polemonem Laodicensem, quòd podagra diu iam, multùmq; conflictatus,ad tollendum cum vita dolorem,inedia se confecerit voluntaria: & Euphratem philosophum, quòd eodem genere stultitiæ se ipsum occiderit,vt molestissimam fugeret corporis ægrotationem,qua cruciabatur acerbissimè. Hunc in numerum referre possumus Democritum Abderitam,Pomponium Atticum, alios;inprimisq. Festum illum, quem commendat, atque admirandum proponit hoc epigrammate Martialis in lib. primo.

Indignas premeret pestis cum tabida fauces,
Inque ipsos vultus serperet atra lues:
Siccis ipse genis flentes hortatus amicos,
Decreuit Stygios Festus adire lacus.
Non tamen obscuro pia polluit ora veneno,
Aut torsit lenta tristia fata fame.
Sanctam Romana vitam sed morte peregit,
Dimisitq. animam nobiliore via.
Hanc mortem fatis magni præferre Catonis
Fama potest.huius Cæsar amicus erat.

Atque ad hoc sanè genus reuocarunt veteres illam ipsius Catonis mortem,præter ceteras scriptis,monumentisq. celebratam:quòd magno vir animo,excluso de corpore spiritu,miserrima se liberasset seruitute,quam sub Tyranno seruire necesse erat. Hùc item pertinere videtur ille Virrius apud Silium Italicum in lib.xiij.quem canit,abijcere sua sponte vitam maluisse,quàm in Romanorum potestatem venire. Hùc etiam reuoces sine dubio Stoicos omnes, (non enim Platonicorum tantùm hæc dementia fuit) Stoicos, inquam, hùc reuoces, qui mortem voluntariam pro malorum omnium perfugio proponebant,vt ex Seneca maximè Stoico discere potes in epist.xii. xvii.xxiv. lviii. lix. lxx. lxxi. lxxviii. Quin Epicurus ipse delicatus philosophus voluntariam hanc probauit,& laudauit insaniam;suasitq. mortalibus, vt se vita priuarent, cum doloribus acerbissimis, iisque perpetuis vrerentur, de quo lege Victorium in lib.var.lect.vi.cap.xi.Porro tempus illud, quo quis sine reprehensione ex istorum philosophorum decretis interficere se posset, appellarunt Græci εὔλογον ἐξαγωγήν, præclarum exitum. Significabant enim hac voce,præclaram, honestam, idoneam,glorioſam denique mortem eos obijsse,qui causam aliquam

ciuſmodi probabilem adſciſcendæ ſibi mortis eſsent nacti.

Sed quam ſtultè ſint hæc ab iſtis vel pronunciata, vel laudata, ve perfecta, non eſt noſtrum hic multis exponere. Docent enim ſapientiſſimi Chriſtianæ religionis auctores, nullum eſse tempus, quo tempore liceat homini ſibi manus afferre, ſeque ipſum interimere. In eos autem nominatim, qui ad extremas vitandas ærumnas ſibi fas eſſe putabāt adire mortem, declamauit copioſe Lactan. lib. iij. cap. xviij. acutèq. diſputauit Auguſt. in primo lib. de Ciuit. ac demonſtrauit, ignauos habendos eſse verius, quàm fortes, qui propterea ſe ipſos interimunt. Immo vero Martialis ipſe in Epigram. ad Cheremonem hanc ignauiam damnat, & excipit riſu.

Quod nimium laudas Cheremon Stoice mortem,
Vis animum mirer, ſuſpiciamq. tuum.
Hanc tibi virtutem fracta facit vrceus anſa,
Et triſtis nullo qui tepet igne focus.
Et teges, atque cimex, & nudi ſponda grabati,
Et breuis, atque eadem nocte, dieq. toga.
O quàm magnus homo es: qui fæce rubentis aceti,
Et ſtipula, & nigro pane carere potes.
Leuconicis age dùm tumeat tibi culcitra lanis,
Conſtringatq. tuos purpura texta toros.
O quàm tu cupias tunc viuere Neſtoris annos,
Et nihil ex vlla perdere luce voles.
Rebus in anguſtis facilè eſt contemnere vitam.
Fortiter ille facit, qui miſer eſſe poteſt.

Ignauos igitur eos habendos putat, qui, quoniam perferre fortunam aduerſam non queunt, ſibi mortem inferunt; illos autem verè fortes, atque conſtantes, qui caſus acerbiſsimos, inopiam, ſolitudinem, ignominiam, ſeruitutem aequanimiter, & cum conſtantia perpetiuntur in vita: id quod etiam declarauit planius in alio quodam epigrammate ad Dacianum.

Quod magni Thraſeæ, conſummatiq. Catonis
Dogmata ſic ſequeris, ſaluus vt eſſe velis:
Pectore nec nudo ſtrictos incurris in enſes;
Quod feciſſe velim te, Daciane facis.
Nolo virum, facili redimit qui ſanguine famam.
Hunc volo, laudari qui ſine morte poteſt.

Ceterùm quid ego Martialem profero teſtem, cum Ariſtoteles ipſe in lib. Eth. iii. cap. vi. omnium fatuitatem ſuo iudicio, ac ſapientia corrigat? Docet enim diſertè, ac dilucidè, habendos eſse deſides, exiguiq. viros animi, qui ſe ipſos ob inopiam, alioſue fortunæ caſus aduerſos interimunt; cum adſcita morte fateantur, id ſe fugere, quod ferre non

possint: nec pares aut idoneos esse ad eum sustinendum impetum, impressionemq. fortunæ, cuius causa de vitæ statione depelli se patiuntur.

Ne Tarquinius quidem ille Superbus videtur id ignorasse: cum hoc voluntariæ mortis,& parricidij genus turpissimo damnauit supplicio, quoniam crudelissimo tantum malum tollere non poterat. Cum enim cloacas populum facere, ac fodere coëgisset, atque ob hanc iniuriam multi suspendio se ipsos occiderent, eorum corpora cruci iussit affigi. quo factum est, vt tum primum habitum turpe sit sibi mortem consciscere. Quare non Christiani modo, sanctiq. viri damnarunt ea Platonicorum, aliorumq. de voluntaria morte decreta, & dogmata;verum etiam poëtæ veteres, primi philosophi, Tyranni ipsi explodenda eadem esse censuerunt.

Quibus aliquando præteritis,de Virgilio pergo dicere;quem ipsius auctoritate Platonis eripere ab omni prorsus errati suspicione contëdimus.Confirmo,inquam,eum,& Platonem,& Platonicos secutum, existimasse Didonem iustissimam voluntariæ mortis habuisse causam, hoc est eam,quam tertio numerauimus loco, atque ab ebriorum conuiuarum similitudine repetiuimus. Nam quia tradebant Platonici, licere homini vehementissimis animi cupiditatibus tamquam ebrietate perturbato,atque à sensibus ipsis,& ratione deiecto,non minus è vita discedere, quàm è conuiuio, eorum adprobans opinionem nonnullis doctorum hominum ea tempestate probabilem, Didonem fecit ex amoris impatientia furentem,debacchantem, è statu rationis exturbatam; vt ei iustam oppetendæ mortis occasionem, & veniam à Platonicis daret. Quid enim aliud nisi furorem, & amoris ebrietatem ea verba præseferunt?

Sed misera ante diem,subitoq. accensa furore,&c.
Cum sic vnanimem alloquitur male sana sororem.
Vritur infelix Dido,totaq. vagatur
Vrbe furens,&c.
Quid loquor,aut vbi sum? quæ mentem insania mutat?

Itaque cum iustis hisce de causis defunctam vita, sua voluntate,fecisset Didonem,vt congruentia loqueretur,& sibi constaret, ab eorum illam numero separauit, qui se sine causa probabili peremissent.Nam si rectè poëtæ verba perpendamus, intelligemus eos tantùm apud Inferos in certo illo loco Virgilium disponere,ac collocare, quibus occidendi se nulla iusta causa fuisset.

Proxima deinde tenent moesti loca,qui sibi lethum
Insontes peperere manu, lucemq. perosi
Proiecere animas.

Quos enim insontes,atque immerentes intelligit,nisi qui mortis causam

ſam nullam habuerunt ex ijs, quæ numerantur à Platonicis, adeoque mortem illam voluntariam non meruerunt? Non erat hic igitur Didoni locus, quæ iure, atque ex idonea cauſa, vt Platonici decernunt, ſe ipſam interfecerat, mortemq. merita erat ob eam amoris, non ebrietatem modò, ſed inſaniam, ac furorem. furori quippè nominatim veniam dedit ampliſsimam mortis Plotinus his verbis. At ſi inſaniam perſenſerit quis imminentem, quid nam aget? fortaſſe verò id viro probo non accidet: ſi tamen acciderit, reponendum erit in eorum genere, quæ neceſſaria nuncupantur, atque ob ea, quæ circumſtant, mors eligenda.

Cum ergo Dido careret illa culpa, quæ in eum locum compulerat eos, qui ſe ipſos occiderant, ſapientiſsimè collocata fuit inter amantes feminas, poëtarum fabulis, & ſcriptis antiquorum omnium nobilitatas.

Hic quos durus amor crudeli tabe peredit,
Secreti caelant calles, & myrtea circum
Silua tegit; curæ non ipſa in morte relinquunt.
His Phædram, Procrinq. locis, moeſtamq. Eriphylem
Crudelis nati monſtrantem vulnera cernit,
Euadnemq. & Paſiphaën; his Laodomia
It comes, & iuuenis quondam, nunc femina Ceneus,
Rurſus & in veterem fato reuoluta figuram.
Inter quas Phoeniſſa recens à vulnere Dido
Errabat ſilua in magna: quam Troius Heros
Vt primum iuxta ſtetit, &c.

Dicat tamen aliquis, omnes, quæ hoc loco detinentur, ob aliquod certum detineri flagitium, quod ex intemperantia turpis amoris admiſerunt, vt conſtabit legenti fabulas ſingularum. Phædra quippe priuignum, à quo repulſa fuerat, circumuenit: aliæ alia ex iſto genere ſcelera perpetrarunt, quorum cauſa plectuntur apud Inferos. Igitur etiam Dido plectetur ob ea peccata, quorum illi fuit auctor impudicus amor. At nullum in Didone videtur erratum eſſe ab amore profectum, niſi mors illa voluntaria, & conflagratio. fuit igitur illa mors culpa digna, non laude. Reſpondeo: non omnes omninò plecti ob ea ſcelera, quæ ſuaſit amor: ſed aliquas ob vnam amoris exuperantiam, intemperantiamq. poenas dare; qualis eſt Laodomia: quæ ex morte Proteſilai coniugis obriguit: aliquas puniri tantùm, quia fidem viris fefellerunt ſuis. quo de genere Procris eſt, vxor Cephali, quæ ſe corrumpi ab inſtitore paſſa eſt pretio. Itaq. Dido plectitur ex amiſſo pudore, atque ex ea fama deperdita, qua nuper ſidera adibat, vt loquitur ipſa: plectitur, quia Sichæo coniugi datam, obligatamq. promiſſis fidem violarat, quod teſtatur ipſa, dolenter expoſtulans ea, quæ geſ-

ſerat intemperanter, & contra quàm Sichaeo pollicita erat.

Non licuit thalami expertem ſine crimine vitam
Degere more feræ, tales nec tangere curas?
Non ſeruata fides cineri promiſſa Sichæo?

LOCVS VI.

DE GRAECORVM PAVORE, AC FVGA apud Inferos ex Aeneæ conſpectu.

Quid cauſæ ſit, cur fugiant ij, quibus officere non poteſt Aeneas.

At Danaum Proceres, Agamemnoniæq. phalanges
Vt videre virum, fulgentiaque arma per vmbras,
Ingenti trepidare metu: pars vertere terga,
Ceu quondam petiere rates: pars tollere vocem
Exiguam. incœptus clamor fruſtratur hiantes.

Nemo leget, opinor, hos verſus, cui non veniat in mentem quærere, quorſum fugiant Vmbræ, ac tantopere pertimeſcant, quæ ferro, aliaue iniuria violari non poſsunt; quemadmodum ſupra monuit Sibylla docta comes, Aeneam.

Et ni docta comes tenues ſine corpore vitas
Admoneat volitare caua ſub imagine formæ,
Irruat, ac fruſtra ferro diuerberet Vmbras.

Quin ipſe ſub libri finem Anchiſes diſertè docet, timorem, ceteraſq; perturbationes hominum ab ea corporis, animiq. ſocietate promanare, quæ diſsoluitur interitu. Sic enim de animorum noſtrorum origine philoſophatur Platonicè.

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant,
Terreniq. hebetant artus, moribundaq. membra.
Hinc metuunt, cupiuntq. dolent, gaudentque, nec auras
Reſpiciunt clauſæ tenebris, & carcere caeco.

Non ergo congruenter, conſtanterq. poëta loquitur, cum Vmbras illas, Aenea viſo, exanimatas dicit, quæ depoſito iam corpore, perturbationum omnium ſeminario, non amplius habebant cur exanimarentur, aut extimeſcerent.

Haud

Haud leuem posset huic loco defensionem præbere vulgaris quædam apud priscos opinio, de ferri acie stricta Vmbras Inferorum exterrefaciente. Credebant, inquam, eas strictos gladios, aut lanceas maximoperè formidare. Quam opinionem secutus Homerus in lib. ij. Odyss. facit Vlyssem stricto gladio sedentem in sacrificio illo magico, & necromantia percelebri, nec Vmbras ad sacrum cruorem ante permittentem accedere, quàm Tiresiam audiat hoc præcipientem. Et sane vulgarem hanc opinionem fuisse docet Plutarchus in Laconicis. vbi commemorat, Laconem quendam noctu monumentũ prætereuntem vidisse spectrum, statimque accurrisse contra cum lancea, illudq. in fugam vertisse, & hac voce persecutum esse. quò fugis anima bis mortua? Licet ergo conijcere, & suspicari hoc etiam sibi voluisse Virgilium: animas nimirum illas Græcorum reformidare strictum Aeneæ gladium, fulgentiaque arma per vmbras, vt canitur hìc. Non enim sine causa huius itineris initio gladium è vagina produxit ex Sybillæ præcepto sic admonentis;

Tuque inuade viam, vaginaque eripe ferrum:

& in ipso Inferorum aditu, atq. vestibulo monstris illis tam multis, ac variis strictam aciem venientibus offert. Sed cur Sibylla, dicet aliquis, vetat eum in Vmbras irruere ferro, si ipsa ferrum stringere iusserat ad exterrendas Vmbras, ac monstra? Respondeam; eam non id admonere, ne strictam aciem offerat, sed ne diuerberet frustra, & ne vulnerare conetur in cassum Vmbras, quas satis sit stricto gladio deterrere. Non leuis, inquam, hæc videtur esse ratio pauoris ad Græcorum Vmbras accidentis ex Æneæ conspectu armati. Sed tamen quia non magis Græcos, quàm alios perterrefacere debuisset acies illa gladij æque in omnes Vmbras intenta, facilior erit defensio, si memoria repetamus veterem Platonicorum de animarum purgatione sententiam. Putabant enim illi quidem perturbationes, affectus prauos, ipsa scelera, quæ ex perturbationibus oriuntur, existere à corpore, cuius societate, & contagione inquinaretur animus: sed putabant etiam, huiusmodi affectiones, perturbationesque remanere post obitum cum animis ipsis, nisi ante doctrinæ, virtutisque beneficio sic se purgassent, vt pristinæ, natiuæque puritati iam redditi viderentur. Vel ipse nos docet Anchises ita Platonicos existimasse.

Quin & supremo cum lumine vita reliquit,
Non tamen omne malum miseris, nec funditus omnes
Corporeæ excedunt pestes, penitusque necesse est
Multa diu concreta modis inolescere miris.
Ergo exercentur pœnis, &c.

Ait enim, maculas, quibus afflantur, aspergunturque à corporibus animæ, residere quoque post obitum, nisi ante fuerint exterſæ: nec

posse

posse beatitudinem consequi, nisi apud Inferos vel flammis, vel aquis, vel aëre ipso purgentur. Quæ nam verò sunt illæ maculæ, pestesque corporeæ, nisi eæ, quas ante percensuerat, cum dixit.

Hinc metuunt, cupiuntque, dolent, &c.

Non enim ipsa modo peccata, & scelera, verum etiam affectus, & perturbationes putabant animum commaculare Platonici.

Quare cum illæ Græcorum vmbræ corporeis infectæ contagionibus migrassent è vita, nec dum expiatæ fuissent, potuerunt ex Platonicorum sententia trepidare, pertimescere, exanimari.

LOCVS VII.

DE LACERATIONE DEIPHOBI.

Num habeat aliquid repugnans; & quorsum pertineat.

Atque hic Priamidem laniatum corpore toto
Deiphobum vidit lacerum crudeliter ora,
Ora, manusq. ambas, populataq. tempora raptis
Auribus, & truncas inhonesto vulnere nares.

Rem non ita gestam esse, vti narratur hic à Virgilio, vel intelligere, vel suspicari licet ex Q. Calabro: quippe qui in xiij. lib. de rebus ab Homero præteritis Deiphobi mortem exposuerit accurate, nec huiusmodi quidquam tradiderit: sed dixerit tantummodo, à Menelao victore interfectum ideo, quòd Helenam habuisset vxorem secundum obitum Paridis.

Haberem, cur hæc eluderem, optimam sane causam, ac rationem, si dicerem poëtæ licuisse illam confingere lacerationem, atque historiæ superaddere: cum nihil à Q. Calabro dicatur, quod illud figmentum euertat. Neque enim ait, Deiphobum non fuisse sic laceratum, sed occisum vniuersè: quo fit, vt genus ipsum necis fingere poëta possit ex ingenio. Haberem, inquam, cur ita diluere posse quod obiectum est. sed aliam ego rationem inibo, quam aperuit mihi Iacobus Mazonius ipsi consentaneam Aristoteli, docenti & confirmanti, multa poëtas tradere contra quàm gesta esse dicantur ab alijs; quia sic oportuit geri, & melius erat ita fieri. Si reprehenditur poëta, inquit, quòd non vera scripserit, respondeatur, eum ita rem tradidisse fa-

ctam,

ctam, quemadmodum fieri oportuit. Sophocles quippe dicebat, homines se tales effingere, quales esse oportet. Vide in Prolegom. Defen. vij. Id, inquam, dici ex Aristot. posse video: Deiphobi mortem sic exprimi oportuisse, ac debuisse. Debuisse autem sic effingi, ex eo potissimum demonstratur, quòd à Græcis hominibus, & quidem ab Helena prodente, ipsumq. facinus adiuuante sit interfectus.

Scimus enim multorum litteris id esse memoriæ consignatum: Græcos solitos fuisse suorum cadauera interfectorum sic interdum lacerare, ac dehonestare, quemadmodum laceratus Deiphobus hoc loco fertur. Ita quippe scribit Sophoclis interpres in Electra: vbi dicitur Agamemnon esse laceratus. Fuit, inquit, in more positum, vt qui aliquem affinitatis, aut cognationis vinculo sibi coniunctum occiderent, summa membrorum ei resecarent vndiq., eaq. sic abscissa secum auferrent, vt iis, qui occisi essent, omnem omnino nocendi facultatem adimerent. Et quoniam ea membrorum extrema ferre solebant sub alis posita, quas Græci μασχάλας appellant, factum est, vt μασχαλισθῆναι nihil aliud sit, quàm detruncare cadauer, ac lacerare. Hæc ibi Scholiast. & paulo post. Ad expiandos interfectores, inquit, extremas cæsi hominis è toto corpore abscindebant partes, & sub alis suspendebant; vt qui occisus esset, redderetur imbecillior, neue aliam pro sua reposceret mortem. Quare Apollonius ait: extrema cadaueris abscidit; cum loquitur de Iasone Absyrtum dissecante. Locum hunc Apollonij, quem laudat Sophoclis Scholiast. ex lib. iv. Argonauticorum ita latine non tàm reddidit, quàm circumscripsit Ioannes Baptista Pius.

Membrorum extremas, & vestis Anaurius Heros
Concidens partes, ter hiantibus oscula iungit
Vulneribus, cædem ter expuit, impiaque ausa
Deuouet, ac sæuæ ter lustrat imagine cædis.

Qua ex descriptione poëtæ, doctrinaq. interpretis duo discere possumus. primum: huiusmodi laceratione Græcos vsos tantummodò fuisse in cognatos, affinesque, quos interfeciissent. Secundum: id quod crudeliter alioqui fiebat, & barbare, referendum in eorum superstitionem amentissimam esse. Nam quia pollutum maxime putabant eum, qui cognatos, affinesque interfeciisset; eosque reposcere vindictam, atque illorum sanguinem efflagitare, à quibus essent occisi, crediderunt, ea membrorum desectione expiari se posse, cæsosque cognatos debilitari, reddique impotentes, quo minus nocerent, ac rependerent vicem.

Sed ex his sequitur, dicet aliquis, imprudenter id finxisse in Deiphobi cæde Virgilium: cum Deiphobus nulla prorsus Menelaum cognatione, aut affinitate contingeret.

Duplex

Duplex mihi videtur esse respondendi ratio. prima, si dicamus, ea laceratione non quidem Menelaum, sed Helenam ipsam, quæ Deiphobo affinitate coniuncta erat, expiatam fuisse. Illam enim Menelaum priorem virum, & ceteros Græcorum Duces in conclaue deduxit; illa fuit cædis auctrix: adeoque necesse habuit solemni Græcorum ritu expiari, eaque labe detergi: nisi tamen ipse quoque Deiphobo censendus sit affinis Menelaus, qui Helenam habuit coniugem primus, ac propterea etiam ipse videretur expiandus. Altera est sine dubio melior, & quæ demonstret, morem illum multo magis patentem fuisse, quàm vt inter cognatos, atque affines concludendus videatur. Nam Apollonij Rhodij proprius interpres eos explicans de Absyrti laceratione versus, quos paulo ante laudauit, ac pro se protulit Sophoclis Scholiastes, ita morem illum amplificat, vt dicat, adhibitum etiam in eos fuisse, qui occisi ex insidijs, & per proditionem essent. Qui aliquem, inquit, circumueniebant insidijs, & occidebant, cadaueris extrema cædere soliti sunt, eaq. ex eius collo suspendere: tum eiusdem sanguinem colligebant, eumque ter in illius expuebant os, vt ita placaretur is, qui per insidias fuisset occisus.

Variant profecto interpretum horum sententiæ, ac diuersa produnt: cum ille Sophoclis Scholiastes dicat id factũ esse ad cæsi hominis debilitandas vires, ne noceret; hic ad eiusdem placandos manes, & expiandum cædis auctorem: ille sub alis parricidæ suspensa fuisse tradat extrema membrorum; hic ex eius collo, qui fuisset occisus. quamquam in hoc postremo non omnino fortasse disentiunt. Nam ille Sophoclis interpres in primo loco ait suspensa fuisse sub alis eorum, qui cognatum interfecisent; in secundo sub alis eius, qui esset interfectus. Confirmat enim disertè, auctores cædis solitos fuisse summa illa membrorum, & extrema cadaueris collocare, siue suspendere περὶ τὰς μασχάλας αὐτοῦ hoc est, sub alis eius, qui esset occisus.

Sed differant in his, discordentq. quantumlibet, modo maneat illud: ex eorum vnius sententia eam lacerationem non in cognatos tantum vsurpatam antiquo more fuisse, verum etiam in eos vniuersè, qui ex insidijs occiderentur. Id quod alii quoque permulti docuerunt, in primisque auctor Etymologici Græcorum, qui hæc iis congruentia scripta reliquit. Hæ sectiones extremarum partium è cadauere ab eo fiebant, qui aliquem occidisset: idque supplicii, pœnæque loco imperabatur, si occidisset ex insidiis; vt expiaretur à scelere, ac purgaretur. quin extrema illa membrorum abscisa colligebant ordine, & componebant, eaque vel sub occisi hominis alis, vel è collo suspendebant. His non admodum dissimilia tradit Suidas in verbo ἐμμαπίως. Mos, inquit, antiquorum is fuit, vt si per insidias

ac frau-

ac fraudem aliquem interemissent, vellentq. ab eo facinore se purgare, extremas cadaueris cæderent partes, ex ijsque compositum quasi torquem ab eius collo suspenderent, qui esset occisus. Quod si quis velit hos ita discordes, dissentientesq. scriptores conciliare, dicat vtrumq. factum ad expiationem peragendam absolutè, perfectèq. hoc est & ex alis, & è collo suspensa illa cadaueris extrema fuisse. Nam Suidas ipse paulò post ita rem amplius explicare pergit. Eaque diuidebant, inquit, & partiebantur, parteſq. ipsas sub alis collocabant. quo factum est, vt sectiones illæ dicerentur proprio nomine μασχαλίσματα. Sed nobis, vt dixi, nihil est necesse istos conciliare, modo compertum sit, eam lacerationem illorum quoq. fuisse, qui occisi per insidias essent. Cum enim Deiphobus proditus ab Helena fuerit, & ex insidijs occupatus in toro à Menelao, iure sane naribus, alijsq. corporis extremis partibus abscissis, à cædis ipsius auctoribus detruncatur. Ita quippè ipse met insidias illas exponit Aeneæ, causam tantæ crudelitatis ab eo percontanti.

Sed me fata mea, & scelus exitiale Lacænæ
His mersere malis. illa hæc monumenta reliquit.
Namq. vt supremam media inter gaudia noctem
Egerimus nosti, &c.
Egregia interea coniux arma omnia tectis
Amouet, & fidum capiti subduxerat ensem:
Intra tecta vocat Menelaum, & limina pandit.

LOCVS VIII.

DE SILVIO AENEAE FILIO.

Cur dicatur posthuma proles.

---------- primus ad auras
Aetherias Italo commistus sanguine surget
Siluius Albanum nomen tua posthuma proles,
Quem tibi longæuo serum Lauinia coniux
Educet siluis Regem, Regumque parentem.

Perdiligenter hic locus obseruatus est à duobus viris doctis Cesellio Vindice, & Apollinari Sulpitio apud Gell. lib. ij. cap. xvj. quibus parum hæc in Siluium Aeneæ filium conuenire videbantur: cum vel posthumus non fuerit, vel si fuit, malè dicatur.

Quem

Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniux
Educet ſiluis Regem.

Poſthumi enim poſt obitum naſcuntur patris: verba verò illa ſignificare videntur, Aenea viuente, ac iam ſene, natum Siluium fuiſſe, & educatum.

Igitur Apollinaris Sulpitius ad declarandum anceps argumentum ſic rem explicabat. Quem tibi longaeuo, non quidem ſeni, ſed in longum aeuum, & perpetuum recepto inter Indigetes, immortalique iam facto. Anchiſes enim, qui hæc dicebat filio, ſciebat, eum, vbi ab hominum vita diſceſſiſſet, immortalem futurum, atque Indigetem; & longo, perpetuoque aeuo potiturum. Hæc tamen interpretatio non placet Aulo Gellio. Itaq. huiuſmodi verba ſubiungit. Hoc ſane Apollinaris argutè. Sed aliud tamen eſt longæuum, aliud perpetuum: neq. Dij longæui appellantur, ſed immortales.

Ianus tamen Parrhaſius probat interpretationem illam Apollinaris, & Gellio ſuccenſet, quòd & Apollinari Sulpitio imponat iniuriam, & Virgilium indefenſum relinquat. Contendit igitur in lõgæuo etiam perpetui notionem interdum eſſe; ſic prorſus, vt Dij ipſi dicantur à nonnullis longæui, in primiſq. ab Aeſchylo his verbis. Δύμοσιν ἐχθρὸν εἴκασμα βροτοῖσί τε δαιμονίοισι θεοῖσιν Inuiſum Manibus ſignum, mortalibuſq., & longæuis Dijs. Quod ſi dicas Aeſchylum, Græcum poëtam, non poſſe nobis tradere latina vocabula, vel veram Latini vocabuli vim demonſtrare; reſpondet, Virgilium à Græcorum fontibus multa deriuaſſe in latinitatem nomina, & Latina feciſſe, quæ Latina non erant. quod licere, ac fas eſſe poëtis affirmat Horatius. Quis enim melius quàm Virgilius noſſe poterat, illi Græco vocabulo reſpondere longæuum apud Latinos? Hæc ergo prima eſt interpretatio Apollinaris Sulpitij, & eiuſdem à Parrhaſio tradita defenſio. De Ceſellio Vindice videamus.

Is enimuerò longè aliter ipſam poëtæ ſententiam explicat: atque in hunc ferè modum. Poſthuma proles non eum ſignificat, qui patre mortuo, ſed qui poſtremo loco natus eſt. ſicut Siluius; qui Aenea iam ſene, tardo, ſeroque partu eſt editus. Ne hanc quidem explicationem adprobat Gell. non quòd illam damnet poſthumi notionem, eum, qui poſtremo loco natus eſt, ſignificantis: ſed quod ab eo deſideret hiſtoriæ veritatem. putat enim, ponitque, Siluium, patre viuente, ſuſceptum in lucem eſſe; quem multi tradiderint, natum poſt mortem Aeneæ. Sic igitur, atque his verbis hominem reprehendit. Huius hiſtoriæ auctorem nullum idoneum nominat. Siluium autem natum eſſe poſt mortem Aeneæ multi tradiderunt.

Nihilo minus tamen ſequendum eſſe putauerim Ceſellium Vindicem; id quod etiam cenſent eruditiſſimi quidam, grauiſſimiq. ſcriptores.

ptores. Nam Cranterus lib.vii.cap.x. docet posthumum non ita scribendum esse, vt vulgo cum aspiratione scribitur : sed postumum ; quia sic planè se scriptum reperisse confirmat in antiquorum monumentis. Itaque illorum euertit firmamentum & robur, qui propterea posthumos ab obitu parentum natos tantummodo volunt, quòd posthumi dicti sint, quasi post humatum patrem in lucem excepti, quæ quidem etymologia, & notatio nominis desumpta est à Varrone in lib.ij. de Analog. Horum, inquam, is amolitur fundamentum, dum demit aspirationem, quæ facere videtur sola, vt posthumus sit, qui post humationem parentis est natus. Contendit autem postumum sine aspiratione deduci ab aduerbio post, quemadmodum ab extra deducitur extimus, à citra citimus: vt nihil aliud esse videatur postumum, nisi quod posterius est, aut vltimum, & postremum. Fatetur ipse quidem, hanc postumi notionem esse minus vsitatam, sed inueniri tamen apud Latinos aliquos eam vocem in illam planè sententiam vsurpatam, è quibus neminem profert, nisi Tertullianum in lib. aduersus Gnosticos, vbi de scorpio cælesti sic scribit. Cauda erit quodcumque de postumo corpore propagatur, & verberat; hoc est de postremo corpore. Alterum ego addiderim auctorem Sidonium Apollinarem: qui in lib.vii. epistolarum postumam ætatem dicit pro posteriore, ac consequente. Addiderim tertium Apuleium, qui postumam dixit spem, pro vltima, & suprema.

Probat hanc eandem interpretationem, ac notationem vocabuli Adrianus Turnebus in lib. xviii. cap.j. quo loco docet postumum non eum tantummodo dici, qui post obitum patris, sed etiam qui post conditum testamentum, patre adhuc viuente, atque superstite, natus sit; quique post alios liberos oriatur : atque ita interpretandum, accipiendumq. censet quod hìc à Virgilio dicitur: vt demonstrant versus, qui subiunguntur :

Quem tibi longaeuo serum Lauinia coniux
Educet siluis Regem, Regumq. parentem:

probat Alciatus Iurisconsult. in lib. viii. parerg. cap. xiii. affirmans in Iure ciuili accipi quidem propriè posthumum pro eo, qui post humationem patris est natus, non tamen esse negandum, eum dici etiam posthumum, qui post conditum testamentum sit genitus, & susceptus in lucem.

Accedat vltimo loco Ausonius poëta, superioribus illis auctoribus testimonio subscribens locupletissimo in epist.xvij. Supremum enim Aeneæ filium, hoc est postremo natum loco appellat hunc Siluium, quem videt à Virgilio posthumum dici.

Vt quondam in Albæ moenibus
Supremus Aeneæ satus.

Colli-

Colligamus igitur omnia,& ſtatuamus,poſthumum non ſemper eſſe qui poſt obitum patris eſt natus, ſed interdum eum eſſe, qui vltimo gignitur loco. Quod ſi diſtinguere velimus vtrumq. primum cum aſpiratione, alterum ſine aſpirationis vlla nota ſcribendum eſſe dicamus.Et quia apud Virgilium poſtuma proles eſt poſtrema, tollendam aſpirationem eſſe contendemus.

Sed hiſtoria huic interpretationi repugnat: cum Seruius, alijque apud Gellium dicant, Aenea iam mortuo,natum eſſe Siluium. Itaque illa poſtumi notio,eum, qui poſtremo natus eſt loco, ſignificans, Virgilium non vindicat reum. Vindicabitur omninò tamen ſi quod alibi diximus, hic repetamus: licere poëtæ, cum præſertim hiſtoriæ variant, vel non ita vulgò ſunt notæ, quicquid libet comminiſci. Huiuſmodi verò eſt hæc de Siluio narratio, tam ignota, tam ab hominum memoria remota, tam varia, & ſcriptorum diſcordantium opinione multiplex,vt dicat Liuius,aliquos tradidiſſe,eum,Aſcanij filium, non Aeneæ fuiſſe.

LOCVS IX.

DE GEMINIS SOMNI PORTIS.

Quid vtraq. ſignificet: & cur Aeneas, ac Sibylla dimiſſi ex eburnea ſint.

Sunt geminae ſomni portae: quarum altera fertur
Cornea, qua veris facilis datur exitus vmbris:
Altera candenti perfecta nitens elephanto.
Sed falſa ad caelum mittunt inſomnia Manes.
His vbi tum natum Anchiſes,vnàque Sibyllam
Proſequitur dictis, portaq. emittit eburna.

Hoc poëtæ figmentum,ex Odyſſ. ix. deſumptum, expreſſumq. propemodum ad verbum, exiſtimatum eſt ab antiquis doctrinæ, ſapientiæque pleniſsimum, vt non immeritò dixerit Euſtathius, has ſomniorum portas attritas iam eſſe doctorum diſputationibus hominum, & ſcriptorum eruditione ſapientium.Earum quippe mentionem facit in Charmide Plato. Audi, inquit, ſomnium meum, ſiue ex cornea, ſiue ex eburnea [illegible]. Commemorat eaſdem Lucianus

nus his planè verbis. Illud quæso primum dicito, vt intelligam vtrum istud somnium ex eburnea, an ex cornea porta ad te peruolarit. Quin Iulianus Cæsar nobilis ille religionis nostræ desertor, ac transfuga, cum de somnio Callimachi loqueretur, quo admonitus est, vt poëma conscriberet, ait illud corneum fuisse somnium, non eburneum. Horatij verò illa ad hoc commentum poëtarum allusio est.

---------- vigilansne ploro
Turpe commissum, an vitijs carentem
Ludit imago
Vana, quæ porta fugiens eburna
Somnium ducit? &c.

Constat ergo, prudentes, ac doctos viros existimasse, sub hoc inuolucro delitescere doctrinam, & sapientiam. sed quæ tandem, aut qualis illa sit ab ijsdem discere nos oportet Platonicis, qui figmentum huiusmodi scriptis suis tam sæpe laudarunt. Et quoniam Aeneas, ac Sibylla ex eburnea porta regrediuntur ad superos, non ex cornea, id etiam quærere necesse fuerit cur factum sit, ne quicquam in hac disceptatione, quam absolutam volumus, vlla ex parte desideretur. Portarum ergo symbolum, & fabulam totam Didymus sic interpretatur. Aiunt aliqui, inquit, & quidem rectè, somnia caelestia cornibus comparari; quia cornua in sublime contendunt; terrena vero ebori: quia elephantorum dentes obuertuntur in terram. quam interpretationem Eustathius quoque ita confirmat, ac probat. Comparant aliqui cælestia somnia, hoc est vera, quæ à Dijs immittuntur, cum cornibus: quia cornua sursum feruntur, caelumq. petere videntur; terrena cum ebore: quia dentes elephanti terram quodammodo despiciunt, ac vergunt in imum. Adiungit Eustathius ex Itali auctoritate, cornu, quod sursum euadit, significari animi nostri intelligentiam simplicem, excelsamq;: ebore, quod deorsum inclinatur, eiusdem animi nostri vim sentientem, quæ nobis crassa, & cum ceteris communis animantibus est. Itaque somnia, quæ porta exeunt eburnea, proficisci ait à terra, hoc est à terrenis sensibus; quæ è cornea egrediuntur, ab hominis intelligentia manare, quæ celestis, atque diuina est. Illa esse falsa: quia inde prodeunt, vbi inconstantia, & deceptio est: hæc esse vera; quia profluunt ex eo fonte, qui veritatis est capax. ita philosophatur Eustathius. Cui respondens ex altera parte Pophyrius apud Macrobium in libro primo Somn. Scip. cap. iij. latet omne verum, inquit: hoc tamen anima cum ab officijs corporis somno eius paululum libera est, interdum aspicit, nonnumquam tendit aciem: nec tamen peruenit; & cum aspicit, tamen non libero, & perfecto lumine videt, sed interiecto, quod ne-

xus naturæ caligantis obducit. Atque hoc in natura esse idem Virgilius asserit, dicens.

Aspice. namque omnem, quæ nunc obducta tuenti
Mortales hebetat visus tibi, & humida circum
Caligat, nubem eripiam.

Hoc velamen cum in quiete ad verum vsque aciem introspicientis admittit, de cornu creditur: cuius ista natura est, vt tenuatum visui peruium sit. Cum autem à vero hebetat, ac repellit obtutum, ebur putatur: cuius corpus ita natura densatum est, vt ad quamuis extremitatem tenuitatis erasum nullo visu ad vlteriora tendente penetretur. Hanc nobis ex eo loco doctrinam, & philosophiam extraxit Porphyrius, si minus veram, Platonicorum certè propriam, & eam, quam Virgilius toto poëmate consectatur.

Subiungi posset explanatio, quam excogitauit auctor siue Rhapsodus Adagiorum. Contendit enim, hoc geminarum portarum figmento id declarari, quod prouerbio dicitur: oculis magis habenda fides, quàm auribus: quodque canitur ab Horatio.

Segnius irritant animos demissa per aures,
Quàm quæ sunt oculis subiecta fidelibus, & quæ
Ipse sibi tradit spectator.

Eburna quippe, qua significari possunt ea, quæ per os exeunt ob dentium eburneum prope candorem, demonstrari putat id, quod audimus, esse sæpenumerò falsum: cornea, quæ videtur adumbrare id, quod cernimus oculis, ostendi credit, ea demum esse vera, quæ nos ipsi perspicimus.

Sed hæc istius interpretatio somnium esse mihi videtur ex ebore. Illi placent magis Platonici Philosophi, Porphyrius, & Eustathius: qui somniant sapientius; cum dicunt, cornu corpus esse nostrum, animæ velum; sed ita purgatum, atque detersum, vt obtutum, aciemque ad verum admittat: ebur idem animæ velum esse, corpus, sed minimè purgatum, & crassum adeo, vt illud traijcere mens, vltraque peruadere non queat. somnia vera ab intelligente anima pestibus extersa corporeis, apprimèque purgata, tamquam ex porta cornea clara, atque pellucida fluere: falsa à sensibus corporeis, atque ab anima pestibus infecta terrenis, tamquam ex eburnea porta densa, & corporata proficisci. somnia vera, quia cælestia sunt, & immissa diuinitus, similia cornibus esse, quæ sursum aguntur in cælum: falsa, quia terrena sunt, & à sensibus profecta corporeis, cum elephantorum dentibus comparari: qui sunt curui, atque in terram deuexi.

Hæc

Hæc Platonicorum placita digniora esse video, quæ probeutur. quia Platonicus Virgilius est, vt copiosius docui in primo orationum volumine orat. viij. de Virgilij Allegoria.

Sequitur vt videamus, quid causæ fuerit, cur Aeneam, ac Sibyllam ex eburnea porta dimiserit Anchises. Marcus Antonius Muretus in libr. variar. lection. cap. vij. suspicatus est, voluisse Virgilium significare, talem esse totam illam de Inferis narrationem, qualia essent somnia, quæ ex eburnea illa porta exire dixisset, hoc est falsam, & commentitiam: idque fecisse studio ductum imitationis Homericæ.

Antiquissimus poëtarum Homerus, inquit, vt tecta quadam vrbanitate significaret, quæcumque de Inferis ipse ceciniisset, talia esse, qualia interdum mulierculis, ac puerulis ad focum sedentibus, aut fallendi, aut conciliandi somni gratia narrari solent; facit Vlyssem móneri à matre, vt quàm primum superos repetat, quæque apud Inferos vidit mente condita retineat, vt habeat quod vxori narrare possit: vt tantum non apertè dicere videatur, ea esse, quæ propè ignem debeant commemorari per iocum. Summus autem Homericarum virtutum aemulator Virgilius aliam rationem commentus est, qua idem obscurè, ac symbolicè indicaret. Nam cum duas hic quoque ex Homero portas fecisset, corneam vnam, qua vera; eburneam aliam, qua falsa somnia mitterentur; Aeneam, spectatis illis Inferorum portentis, porta eburnea egredientem fecit, vt sagacibus lectoribus suspicandum relinqueret, totam illam περατολογίαν talem esse, qualia somnia ex Inferis eadem porta exire dixisset. In hunc modum diuinat, & coniecturam facit de Sibylla, Aeneaque ex eburnea porta digressis Muretus. sed argutè magis, quàm rectè sic disputat. Aliena quippe sunt hæc ab officio poëtarum: qui quamquam falsa sæpe proponunt, non tamen vt falsa, sed tamquam credibilia proferunt. Non igitur in sua ipsius causa sic præuaricari Virgilium credendum est, vt dedita opera velit ostendere, falsa esse, quæ pro verisimilibus afferre debuit.

Prouocemus igitur iterum ad Platonicos: germanamque causam ab Homero repetamus. qui Nympharum illud antrum patefactum Vlyssi duabus peruium portis fecit: vna, quæ ad Austrum, altera, quæ ad Boream conuersa esset. priore illa patere aditum tantummodo Dijs affirmauit: posteriore mortalibus. Aiunt ergo Platonici Latinorum, hoc est Virgilij tutores boni, patronique prudentes, & Platonicæ disciplinæ periti, Homericis hisce geminas illas apud Virgilium somni portas esse similes, ac prorsus cum ijs geminas; corneam, qua veris datur exitus vmbris, Deorum

esse, ac Manium, qui verè sunt vmbræ; eburneam esse mortalium, qui crasso, concretoque corpore adhuc impediuntur, quo minus egredi queant è cornu tenui, atque pellucido. Quare cum Aeneas, ac Sibylla nondum liberi corporibus, sed è numero mortalium, ac viuentium essent, non cornea, sed eburnea porta ex Inferis demum dimitti debuerunt.

Finis Libri Sexti.

LIBRI SEPTIMI AENEIDOS

LOCVS PRIMVS.

DE CERVO VULNERATO.

An tanti belli causa hæc videatur idonea.

Ceruus erat forma praestanti, & cornibus ingens:
Tyrrhidæ pueri quem matris ab vbere raptum
Nutribant.

LAVDAT, & cum admiratione suspicit hoc inuentum prudentissimi poëtæ Casteluitrus, existimatq. nihil accommodatius fieri, aut fingi potuisse: adeoq. reponi iubet inter ea episodia, quæ probantur, & decora dicuntur ab Aristot. in poët. cap. xv. iisque prorsus opponi, quæ ab eodem Arist. illo loco reprehenduntur. Sed non animaduertit, quàm acrem hic, iratumque Virgilio aduersarium habeamus. Nam Macrob. in lib. v. cap. xvii. (nisi fortasse Gellius sit; à quo ille pleraq. mutuatus, exposuit, venditauitq. pro suis) Macrobius, inquam, vulnus, & mortem cerui minus accommodatam inchoandi belli causam ratus, appellat hoc figmentum puerile: ingenijq. factum inopia dicit, vt vbi Virgilius Homeri ductum non habuit, defecerit, nec cursum tenuerit institutum. Ipsum audiamus. Quid Virgilio con-

tulerit Homerus, hinc maximè liquet ; quòd vbi rerum necessitas exegit à Marone dispositionem inchoandi belli , quam non habuit Homerus , laborauit ad nouum rei partum, ac ceruum fortuitò saucium fecit causam tumultus . Sed vbi vidit hoc leue , nimisq. puerile, dolorem auxit agrestium ; vt eorum impetus sufficeret ad bellum . Sed nec seruos Latini , maximè stabulum Regium curantes, atq. ideo quid fœderis cum Troianis Latinus icerit ex muneribus equorum, & currus iugalis non ignorantes , bellum generi Deorum oportebat inferre . Quid igitur ? Dearum maxima educitur è caelo, & maxima Furiarum adsciscitur è Tartaris . sparguntur angues velut in scena , parturientes furorem . Regina, non solum de penetralibus reuerentiæ matronalis educitur , sed per vrbem mediam cogitur facere discursus . Nec hoc contenta , siluas petit, accitis reliquis matribus in societatem furoris . bacchatur chorus quondam pudicus, & Orgia insana celebrantur . Quid plura ? maluissem Maronem, & in hac parte apud auctorem suum , vel apud quemlibet Græcorum alium, quod se queretur habuisse .

Ita Macrobius in Virgilium debacchatur , ipsa rerum genera perturbans, & occasionem inchoandi belli fortuitam, ac leuem cum eiusdem inferendi belli principe causa confundens . Rectè quippe Modicius ait, duo in hoc esse potissimum attendenda, & distinguenda ; meditandi, parandique belli causam , quam habuit Turnus haud leuem , & occasionem eiusdem inchoandi; quæ quidem occasio, vt in plerisq. bellis accidit, leuissima hic fuit , sed pro re nata maximè idonea . Si causam quæramus meditandi, adornandiq. belli principem, inueniemus esse grauissimam; & eam, quæ cum excidij Troiani causa conferri queat; vt indicare Virgilius ipse videtur eo versu.

Causa mali tanti coniux iterum hospita Teucris.

Quid enim grauius, quàm pactas à sponsis abducere, & regnum eripere dotale , quod iam in manibus esse videbatur? Hæc ergo fuit Turno comparandi, inferendiq. belli causa grauissima: riualis Rex , peregrinus prædo , Regni dotalis ereptio . Nam antequam vulneraretur ceruus, de Turno furente dicitur.

Ergo iter ad Regem , polluta pace Latinum
Indicit primis iuuenum ; & iubet arma parari :
Tutari Italiam; detrudere finibus hostem .
Se satis ambobus, Teucrisq. venire, Latinisq.
Hæc vbi dicta dedit, Diuosq. in vota vocauit ,
Certatim se se Rutuli exhortantur in arma.

Quæ dum ita feruent , ecce tibi agitatus ab Ascanij canibus ille ceruus, vulneratur, occiditur . Itaq. non de ceruo , sed de Regno, de Italia, de sponsa contenditur . Atque ob hanc causam, non propter interitum

ritum cerui, illæ excitantur Tragoediæ, Furiæq. inducuntur, ac Dij, velut in scenam.

Sed quærenda tamen erat huiusce belli tam grauibus ex causis iam meditati occasio aliqua inchoandi prudens, & circumspecta, ne Latinus inconstans, iniquus, aut foedifragus videretur. Nulla profectò fingi potuit opportunior, verosimilior, & decoro magis seruiens, quàm quæ à Virgilio in ea venatione fortuita fuit excogitata. Si enim dixisset, quod ab aliquibus est traditum historicis, belli principium ex eo natum, quòd Troiani in eas expositi terras, illico prædas ex agris agere cœpissent, occasio quidem fuisset amplior, sed quæ minus iustum Aeneam faceret, minimèq. pios Troianos; contra, quàm alibi dictum sit.

Quæ ne monstra pij paterentur talia Troes.
Rex fuit Aeneas nobis, quo iustior alter
Nec pietate fuit, nec bello maior, & armis.

Multo igitur est id verosimilius, magisq. decoro consentaneum, & moribus Troianorum, quos tam pios, & iustos facit; si dum Aeneas oppidi noui ponendis moenibus occupatur, Ascanius ad grauiora negotia nondum idoneus, honesta, Regijsq. digna pueris venatione in agris, ac siluis exerceatur; si dum sic exercetur, cerui vestigijs, & Furiæ stimulis excitati canes occasionem illam pariant, quæ meditato iam, & adornato bello principium faciat.

Neque vero est, cur aliquis dicat, Virgilium ipsum causam tanti belli veram, atque præcipuam proponere cerui plagam illam, & vulnus, Ascanij sagittis inflictum. disertè quippe pronunciat, incitatos fuisse odore cerui, ac furiali rabie instinctos canes:

Vt Ceruum ardentes agerent: quæ prima malorum
Causa fuit, &c.

Non, inquam, est cur aliquis putet ita Virgilium imprudentem esse, vt eam idoneam, ac principem totius belli causam existimarit. Cum enim primam dicit, non potissimam, summam, aut præcipuam intelligit causam, quæ Turnum impulerit ad arma, & Latinum in partes traxerit inuitum; sed occasionem primam, quæ Turnum iam impulsum, & excitatum, ad bellum maturius aggrediendum prouocarit.

LOCVS II.

DE CATALOGO MILITVM ITALORVM.

An aliquid in eo frustrà ponatur.

Primus init bellum Tyrrhenis asper ab oris
Contemptor Diuum Mezentius, &c.

Quæstionem hanc nobis proponit Macrobius in lib. v. cap. xv. vbi contendit multa esse in hoc Catalogo superuacanea, adeoq. locum hunc arguit inanitatis. Vitium enim inanitatis tum deprehendi, ac esse dicitur in poëtis, cum aliqua ponũtur in poëmate ad nullam partem, ac rationem vtilia. Hoc erratum autem idcirco affirmat in eo Ducum Italorum Catalogo se reperire, quòd numerentur oppidò multi, qui exinde nihil agunt, nec in reliquo totius operis decursu amplius commemorantur, qualis est Equicolus, Vmbro, Virbius, alij. Cum enim in huiusmodi Catalogis nobilissimi quique recensentur, & principes, aliquid eos agere oportet; ne reliquo tempore otiosi fuisse videantur. Quæ si iusta est, & prudens accusatio, reprehendendus etiam erit Apollonius Rhodius inter Græcos, inter Latinos Valerius Flaccus: in quorum Catalogis longè plurimi numerantur Heroës, & quidem principes, quorum nullæ præterea res gestæ commemorantur. Sed, vt diximus alibi, hæc poëtarum exempla Virgilium vindicare non possunt, atque ideò quærenda nobis est alia ratio; quæ ostendat, nihil eum frustrà, inaniterq. dixisse. Igitur huic inanitati medicinam faciet Galenus idoneã; modò liber ille Galeni sit, quo iuuenes ad bene capessendas artes excitantur. Is, inquam, auctor, quicumque sit, Homeri studiosissimus, permolestè fert nonnullorum audaciam, Homerum eo nomine accusantium, quòd in suo Catalogo Nirea verbosissimè describat, eiusq. pulcritudinem multis sanè versibus ob oculos legentium ponat, Græcorumq. omnium formæ, dignitatique anteponat; quem tamen exinde non modò non inducit amplius, sed ne commemorat, aut nominat quidem. Hanc, inquam, ille reprehensionem iniquo tulit animo: excogitauitq. propterea defensionem longè pulcherrimam, quam profectò aliqua ratione trahere possimus ad nos. Ait enim, illa commemoratione, & descriptione tã accura-

curata hominis pulcherrimi, qui postea desierit in prælio apparere, voluisse poëtam sapientissimum demonstrare, bello, rebusq. difficillimis transigendis formosos homines, delicatos, & molles inutiles esse. Præstabit opinor ipsum audire Galenum. Non nisi semel, inquit, huius hominis mentionem facit Homerus hoc est in nauibus recensendis: quia declarare volebat, quàm sint inutiles viri forma præstantissimi, quoties illis præter formam nihil adest, quod ad vsum vitæ conducat: Indicat hanc eandem Homeri tuendi rationem Demetrius Phalereus: & quod de pulcritudine futili, ac rebus agendis inutili dicunt, tractatur à Platone copiosè in Dialogo, qui inscribitur Protagoras. vbi de Alcibiade pulcherrimo adolescente multus est sermo. perstringitur item à Persio in satyra iv.

Quin tu igitur summa nequicquam pelle decorus
Ante diem blando caudam iactare popello
Desinis, Anticyras melior sorbere meracas?

Nos ergo Galeni ductum secuti, sic Macrobio respondeamus, Virgilium cum eos obliuione inuoluit, ac silentio, quorum in Catalogo recensuerat nomina, voluisse fortasse significare, homines illos inutiles fuisse; nec vllam belli partem pro dignitate tractasse. Ex hoc enim consequens est; non fuisse amplius commemorandos: cum ipsi met, rectè, fortiterq. gerendis in prælio rebus suæ memoriæ, ac famæ non consuluissent. Neque enim de re tam obscura possumus alia ratione decernere, quàm diuinando.

Finis Libri Septimi.

LIBRI OCTAVI AENEIDOS

LOCVS PRIMVS.

DE AENEA SVOS IN DISCRIMINE deserente.

An hoc illi fas fuerit.

Sic memorat: geminasque legit de classe biremes,
Remigioque aptat: socios simul instruit armis, &c.

BONI officium Imperatoris ab Aenea requirunt hìc aliqui, cum vident, aggeribus, & vallo nuper excitato concluſos ab eo deſeri ſocios, hoc eſt opportunos eorum iniuriæ relinqui, qui maximum exercitum, & ingentes è toto Latio contrahunt copias. Quid enim ſine duce tam pauci faciant, contra quos, vt dicitur initio libri,

---------- omne tumultu
Coniurat trepido Latium: sæuitq. iuuentus
Effera: ductores primi Messapus, & Vfens,
Contemptorque Deum Mezentius vndique cogunt
Auxilia?

Quid, ſi repente adſit interea Turnus, &, quod poſtea factum eſt, valida muros obſidione circumſiſtere, vallum reuellere, naues immiſſo corrumpere tentet incendio? quo ſe præſidio tuebuntur obſeſſi? Ipſe quidem diſcedens Aeneas neminem præficit: ſed ſatis habet intra munimenta illa compellere ſuos eo cum imperio, ac lege, ne portis egredi,

egredi, neu cum hoste comminus, ac prope confligere audeant.

Namque ita discedens præceperat optimus armis
Aeneas; si qua interea fortuna fuisset,
Neu struere auderent aciem, neu credere campo.
Castra modo, & tutos seruarent aggere muros.

Quid si aliquid grauius ipsi accidat Aeneæ finitimarum adeunti gentium terras, atque ab ignotis populis auxilia flagitanti? Quanto sane prudentius eo tempore sibi, suisque cauet Turnus, apud exercitum ipse subsistens in Regno, Venulum autem allegans ad Diomedem, ceteroſque dimittens aliò nuncios, ad auxiliares copias colligendas.

Hanc profectò quæstionem haud facile profligabo, nisi huic similem ante proponam, & decidam aliam. Quærunt quippe qui de re militari sedulò disputant; an Imperatori, & copiarum Duci primario fas aliquando sit, ipso propemodum imperio, & gubernatione deserta, manus cum hoste conferere, hoc est mortis adire non dubiam aleam, & exercitum in discrimen, periculumque proijcere. corpus enim spiritu vacans, & anima, exercitus est, Imperatore destitutus, vt apud Curtium legimus in lib. x. & quod egregie docet Seneca in lib. i. de Clementia, Imperator spiritus vitalis est, quem tot millia trahunt, vinculum est, per quod ipsa cohæret multitudo, nihil omnino futura, nisi onus, & præda, si mens illa imperij subtrahatur. Certe nomen ipsum Imperatoris satis significat, vt docet Quintilianus, non exigere manum ipsius: imperare quippe debet, & præcipere; nec se mortis exponere periculo, hoc est, exitio totius exercitus, & Reipublicæ; quemadmodum permulta multorum exempla declararunt. Abbreuiator Trogi Iustinus de Epaminonda hæc scripta reliquit. Post paucos deinde dies Epaminonda decessit, cum quo vires quoque Reipub. ceciderunt. Nam sicuti telo si primam aciem perfregeris, reliquo ferro vim nocendi sustuleris, sic illo velut mucrone teli ablato Duce Thebanorum, rei quoque publicæ vires hebetatæ sunt: vt non tam illum amisisse, quàm cum illo interijsse omnes viderentur.

De Scipione verò Liuius ita commemorat. Pugnanti, hortantiq. Imperatori, & offerenti se vbi plurimus labor erat, latus dextrum lancea traijcitur: cuneusque is hostium, qui in confertos circa Ducem impetum fecerat, vt exanimem, labentemque ex equo Scipionem vidit, alacres gaudio cum clamore per totam aciem nunciantes discurrunt, Imperatorem Romanum cecidisse. Hæc peruagata statim vox, vt & hostes haud dubie pro victoribus, & Romani pro victis essent fecit. fuga confestim ex acie, Duce cæso, fieri cœpta est. De Hannibale prudentissimo alioquin Imperatore scribit idem Liuius in hunc modum. Et verò Hannibal ipse dum murum incautus subit, aduersum femur tragula grauiter ictus, cecidit. tanta circa eum

fugæ,

fuga, & trepidatio fuit, vt non multum abesset, quin opera, ac vineæ desererentur. Sed audiatur Polybius in lib.x.vir rei militaris,& artis Imperatoriæ scientissimus. Etenim Duce illæso, ac sospite, inquit, etiam si aliquando reliqua cuncta cadant, multas tamen occasiones fortuna suppeditat, quibus detrimenta ex calamitosis euentibus accepta sarciri possint. Sin autem ille, perinde ac in naui gubernator, ceciderit,etiam si reliquæ multitudini victoriam aduersus hostes largiatur, nihil tamen inde commodi prouenit; propterea quòd omnis omnium spes à Ducibus pendet. His omnino similia præcipit Onosiander, Græcus auctor,in Strategico cap. xxxiij.& ijsdem prope verbis. Nimirum quilibet è populo miles corporis robore strenue facere potest, inquit: mentis autem prudentia bene consulere haud alius facile queat. Nam quomodo si gubernator relicto gubernaculo, nauticis remigum operis se se immiscat, nauem in periculo esse contingit, ita si Imperator consilia suis dare negligens,ad militaria munera se transferat, rem vniuersam in maximum discrimen adducit.

Hæ causæ, rationesque videntur vincere, numquam omnino fas Imperatori esse manu pugnare,aut periculo vitam suam committere, & vincunt quidem, nisi necessitas aliud postulet. Incidunt enim interdum ea tempora, quibus nec retineri possit exercitus, nec parari victoria, nec Respublica conseruari nisi Dux in periculum se, discrimenque conijciat. Itaque vt probanda sint omnia, quæ supra dicta iam sunt, nec Imperatori danda venia sit, vt militares suscipiat labores, & gregalium adeat pericula, est tamen hæc exceptio subiungenda; nisi exercitum plane periclitari,& rempublicam in extremum venisse discrimen animaduerterit. Tunc enim adesse periclitantibus, ac laborantibus debet, & nullũ,non modo constantis Ducis,sed etiam fortissimi militis officium omittere. Ita nimirum Cæsar, nutante iam exercitu, atque in fugam conuerso, rapto fugientis è manu scuto, in primam volitans aciem, restituit illicò prælium, quod est apud Florum in lib. iij.cap.x. & pulcherrimè canitur à Lucano in lib.vij.

Ipse manu subicit gladios, ac tela ministrat:
Promouet ipse acies, impellit terga suorum,
Verbere conuersæ cessantes excitat hastæ.

Quapropter haud semper accusandus est temeritatis Alexander, quòd periculosissima quæque, vt loquitur Iustinus in lib. xij. aggrederetur, & vbi confertissimos hostes acerrime pugnare conspiceret, eò se immergeret, suaque non militum pericula esse vellet. Postulabat enim hoc interdum tempus, & necessitas, vt ab imperio ad militarem operam,laboremque transiret, qui vitæ periculo vix vnquam vacat.

Ex hac

Ex hac ergo quæstione sic profligata decerni quoque de nostra facile potest. Idcirco enim reprehendi posse videtur Aeneas; quòd cum deserit suos, & aliò proficiscitur, se, suosque tradat in discrimen. Itaque cum quærimus, an Aeneæ fas fuerit, relictis castris, ad auxilia ab ignotis petenda gentibus, in iter se periculosissimum dare, quærimus illud; an Imperatori, ac Duci liceat vmquam adire periculum vitæ, atque à suorum gubernatione discedere: adeoque sic possumus omnino respondere, quemadmodum supra de Duce, suo iudicio inter gregarios periclitante, & cum hoste manus conferente respondimus. Nam si deplorata quædam tempora sint, & ea, quibus alia ratione succurrere, ac prospicere non possit Imperator suis, nisi tantisper ab exercitu diuellatur, atque ad auxilia conquirenda ipso etiam cum vitæ periculo discedat, neminem ego futurum puto tam iniquum iudicem, qui non hanc illi non modo veniam det, sed abeundi quoque necessitatem imponat. Quæ profecto tempora quoniam Aeneas Imperator callidus animaduertit, non dubitauit aliquantisper â suis abesse, periculosum iter arripere, auxilium ab ignotissimis populis expoſcere. Quem enim ipse ad tam difficile negotium allegaret? quis præter vnum Aeneam is erat, cui fidem haberent Principes, à quibus auxilium & copiae petebantur? His autem rerum difficultatibus quia non adigebatur ad abeundum Turnus, cum notissimus esset finitimis ciuitatibus, & Italiæ Regibus, satis habuit dimittere Venulum, aliosque legatos ad auxilia contrahenda. Huc accedit, quòd Aeneas admonitu Tyberini fluminis ad abeundum excitatur: quo minus dubitare debet de rerum euentu, magisque sperare, futuram sibi certam reuersionem in castra, suisque interea secundorum præsentiam Numinum adfuturam. Sic enim initio lib. viij. Tyberis eum alloquitur.

Haud incerta cano. nunc qua ratione quod instat
Expedias victor, paucis aduerte, docebo.
Arcades his oris, genus à Pallante profectum,
Qui Regem Euandrum comites, qui signa secuti
Delegere locum, & posuere in montibus vrbem
Pallantis proaui de nomine Pallanteum:
Hi bellum assidue ducunt cum gente Latina.
Hos castris adhibe socios, & foedera iunge.
Ipse ego te ripis, & recto flumine ducam.

Quod vero de illa dicitur Aeneæ temeritate abeuntis è vestigio, nec vllum exercitui, castelloque præficientis, falsum esse declarant ij versus in lib. ix. quibus Mnestheo, Serestoque in eam gratiam demandata præfectura planissimè significatur.

Hæc super è vallo prospectant Troës, & armis

Alta

Alta tenent: nec non trepidi formidine portas
Explorant, pontesque, & propugnacula iungunt.
Tela gerunt, instant Mnestheus, acerque Serestus.
Quos pater Aeneas, si quando aduersa vocarent,
Rectores iuuenum, & rerum dedit esse magistros.

Cum igitur Aeneas eo temporum deprehendatur articulo, vt nisi discedat è castris, atque ipsemet auxilia conquirat, suorum saluti consulere non possit, cum de discessu moneatur diuinitus, cum itineris sui ducem habeat Tyberim fluuium, cui numen inesse credebat; cum denique bonis illis ducibus administrandæ Reipublicæ curam demandarit, nullum prætermittit officium periti, probiq. Principis: nec plus reprehendendus videtur, quàm reprehendi soleant Imperatores exercitus, qui se in rebus accisis, deploratisque relicto propemodum imperio, ad militaria conferunt officia, vitamque in discrimen obijciunt. Et quoniam singula iudicio permittimus Aristotelis, consulendus est in Prolegomenis nostris Defens. v. quæ huic loco præsidiũ suppeditabit ex circumstantijs, quas ille poëtarũ assertor intueri nos iubet, cum eorum patrocinium suscipimus. quod enim alioqui videtur imprudenter, & temere factum, ipsa vel loci, vel personæ, vel temporis ratio ab omni sæpe temeritate, atque imprudentia vindicat. Tempus autem ac locus, vt supra diximus, ita postulabat abitionem, & periculum Aeneæ, vt imprudentissimus habendus fuisset Imperator, nisi confestim excessisset è castris, seque itineri quantumuis ignoto, periculosoque commisisset.

LOCVS II.

DE TYBERI SILVISQVE MIRANTIBVS.

An liceat huiusmodi sensum rebus inanimis dare.

Labitur vncta vadis abies, mirantur & vndæ:
Miratur nemus insuetum, fulgentia longe
Scuta virùm fluuio, pictasque innare carinas.

Videtur poëta cum eum tribuit sensum rebus inanimis, vt dicere audeat eas lætari, gestire, mirari; videtur, inquam, ea proponere, quæ nemo credat, aut pro verisimilibus habeat. Quis enim credere possit,

posit, vndas, & nemora ex hospitum, armorum, nauium ipsarum nouitate in admirationem rapi, cum ea vis animi non cadat nisi in participes rationis animantes?

Sed meminisse nos oportet, poëtas rerum omnium, de quibus ipsi cogitant, quædam efficere simulacra, vt ampliorem legentibus, audientibus, & spectantibus afferant admirationem. Itaque si quem inuidia tabescentem descripturi sunt, Inuidiam potius ipsam inducunt corporatam, & aspectabilem, quæ hominem vexet, quàm dicant eundem inuidia laborare: non quòd existiment eo modo melius se posse rem illam incredibilem persuadere legentibus, sed quòd videant, ijs simulacris expingi commodius, ac magis ad viuum exprimi animi sententiam, opinionemque de re, quam tractant, singularem. Id videlicet etiam sequuntur, cum dicunt, lætari arbores, mirari campos, &c. Dicunt, inquam, id factum, quod fieri nequit, ad exprimendam magis, atque ob oculos ponendam illam opinionem, & imaginem rei, quam animo consignarunt. Hanc imaginem à poëtis informatam animo nominant aliqui Grammatici poëticam phantasiam, in primisque Seruius, hunc explicans, quem habemus in manibus, locum. Miratus enim ipse, cur Virgilius siluas, fluuiosque mirantes fecerit, hæc ad demendam nobis admirationem adiungit. Laus Troianorum per phantasiam quandam ex vndarum, ac nemorum admiratione veniens. Placuit hoc idem phantasiæ nomen alteri Grammatico Lactantio, siue Lutatio, qui Statium commentarijs illustrauit. Sic enim interpretatur eum versum Thebaidos.

Et noua clamosæ stupuere silentia valles.

Baccharum vocibus, inquit, clamosæ valles destitutæ, immolatarum pecudum mugitibus stupuere. Dicit poëtica phantasia, omnem gregem in illo loco immolatum. Hæc ibi Lactantius: perinde quasi dicat, stuporem vallibus tributum à Statio fuisse propter expressionem illam, quæ poëtis est familiaris, dicique potest poëtica phantasia.

Declararunt nimirum nobis hi Grammatici vnico phantasiæ nomine id, quod multis sæpe soliti sumus explicare, cum dicimus, poëtas idola quædam rerum, & simulacra confingere animo: quæ vel inducunt instructa corporibus, vt cum loquentes Deos, aut homines faciunt, vel hyperbolicis quibusdam figuris, licenter exprimunt; vt cum aliquid describunt, aut narrant, nulla prorsus inducta persona; contra plane, quàm faciant Oratores: qui ad molliendas audaciores quasdam dicendi formas, verbi cautionem addunt aliquam: nec parietes ipsos gestire dicunt, sed videri gestire, aut quodammodo gestire. Huius ratio discriminis petenda est à fine, quem proposuit poëtis imitatio, quæ à delectatione, quemadmodum in cap. ij. ait Arist. nata est. Fit enim hinc, vt delectationem poëta sequatur, ex qua, &

cum

cum qua ipsa nata poësis est. delectationem autem nihil est, quod pariat magis, quàm admiratio. quod enim est admirabile, iucundum est, inquit idem Arist. in cap. xxij. Et quoniam ampliorem habet admirationem ea phantasia, & simulacrum rei gestientis, superiectionibus, alijsq. verborum figuris expressum, quàm animi sententia eadem de re exposita simpliciter, & cum vocabuli cautione prolata, poëtæ non dubitant dicere ea lætari, ac gestire, quæ verè lætari, ac gestire non possunt. Ne ipsi quidem ex antiquissima memoria diuini Hebræorum vates, ac Lyrici poëtæ ab hoc dicendi genere abhorruerunt. Quid enim aliud est illud; Montes exultastis sicut arietes, & colles sicut agni ouium?

Hoc vnum extremo loco subiungendum, atque ad claudendam disputationem ponendum est; licere poëtis, ea, quæ fieri non possunt, facta esse dicere, vt admirationem, delectationemque maiorem aucupentur. quod decretum est, expositumque dilucide ab Aristot. in cap. xxiij. his verbis. Si quæ fieri nequeunt confingamus, rectè tum id factum habebit, si propterea artis finem assecuti simus. est autem eius finis, si hoc pacto magis admirabile est. Hanc ita dat poëtis Aristoteles veniam: quam nos in prima Defens. declarauimus initio. Quapropter omnis obstruetur aditus accusatoribus, si dicamus, Virgilium assequi multo maxime poëticæ finē, cum ait stupuisse siluas, & fluuium nouorum aduentum hospitum esse miratum. quia sensus ille tributus siluis, & fluuio maxime admirabilis est. admiratio vero delectationem parit; delectatio finis ipsi poëticæ propositus est. Dices tamen, quicquid ad delectationem poëta fingit, debere esse verosimile, ac credibile saltem vulgo. At hoc figmentum nemini est verosimile: cum omnes sciant, siluas, & fluuios admiratione affici non posse. Quid hic responderi debeat, indicaui iam suprà, cum dixi, ea quæ his hyperbolis finguntur, non fingi à poëtis tanquàm verosimilia, & credibilia, quemadmodum finguntur ea, quæ narrantur, aut aguntur in fabula, & poëmatum syntheſi; sed proponi tanquam ea, quæ magis rem exprimunt, & enargiam habent. Non enim, cum dicunt fluuium admiratum esse, volunt id vulgo credi, sed intelligi, rem, de qua loquuntur, ita mirabilem fuisse, vt potuerit admirationem etiam afferre fluuio, si ea vi, & sensu fuisset præditus. Contrà vero cum dicebant, Harpyias esse locutas, volebant id vulgo credi: quia cernebant populum insana tunc imbutum superstitione, figmentis illis facile fidem habere.

LIBRI NONI AENEIDOS

LOCVS PRIMVS.

DE NAVIVM TROIANARVM metamorphoſi.

An ſupra fidem ficta videatur; & quibus expoſita calumnijs ſit.

---------- vos ite ſolutæ,
Ite Deæ pelagi: genitrix iubet. & ſua quæque
Continuo puppes abrumpunt vincula ripis:
Delphinumq. modo ſubmerſis æquore roſtris
Ima petunt. Hinc virgineæ (mirabile monſtrum)
Reddunt ſe totidem facies, pontoq. feruntur,
Quot prius aeratæ ſteterant ad littora proræ.

ANTIQVISSIMA eſt huius loci reprehenſio, iam inde ab ijs inchoata temporibus, quibus Grammatici Virgilium terere manibus, & commentarijs illuſtrare primò cœperunt. Sic enim ſcriptum reliquit Seruius, hos verſus interpretans. Figmentum hoc, licet poëticum ſit, tamen quia caret exemplo, notatur à Criticis.

Sed noui ſubinde Cenſores ita locum eundem exagitarunt, vt difficillimum nobis hoc patrocinium fecerint. Satis ego tamen habebo reſpondere Caſteluitro: qui omnium opinor Criticorum nomine

Virgilium in ius vocat, & eam de integro antiquorum excitat accusationem, quam commemorat Seruius: sed tractat fortasse pluribus, ac magnificentius, quod ab ijs ieiune perstrictum, & quàm pauciſſimis indicatum erat. Non enim illi satis est dicere, non licuisse Virgilio eam fingere metamorphosim, cuius exemplum non extaret aliquod apud antiquos, sed profert præterea iustissimam accusationis causam ex Aristotele: rationesque colligit omnes, quæ ad hoc episodium expungendum videantur idoneæ.

Pugnat ergo primum Aristotelis auctoritate: qui cap. vij. poëtices affirmat, illud hominibus esse credibile, ac verosimile, quod sciunt aliquando factum fuisse, id incredibile, quod sciunt non esse factum. In Tragœdia, inquit Aristoteles, vera nomina retinentur. cuius rei ratio est, quia credibile illud est, quod fieri potest: quæ verò nondum facta fuisse scimus, fieri profectò posse, parum credimus. Quibus ex verbis demonstrare se putat Casteluitrus, hìc errasse Virgilium: cum diuinitus id factum comminiscatur, quod factum fuisse numquam legitur in fabulis. Quis enim audiuit vmquam, arida ligna in Deas esse conuersas? Saxa Deucalionis in homines, ebur in Pelopis humerum esse mutata, dicere quidem ausi sunt fabularum auctores: huiusmodi vero res inanimas diuinitate donatas esse, & in Deos conuersas, dicere non sunt ausi. Huic Aristotelis auctoritati aliquot præterea rationes adiungit ductas ab imprudentia poëtæ, res inter se pugnantes illo figmento coagmentantis. Nam primo quidem Iuppiter ipse Berecynthiæ respondens, petenti, ne naues illæ

---------- *cursu quassatæ vllo, neu turbine venti*
Vincantur,

planissimè, disertissimeque confirmat, eas se non posse sartas, tectasque in perpetuum præstare, aut impedire, quò minus mortali manu compositæ carinæ tempestatibus hauriantur, ac finem habeant.

O genitrix quò fata vocas? aut quid petis istis?
Mortaline manu factæ immortale carinæ
Fas habeant? certusq. incerta pericula lustret
Aeneas? cui tanta Deo commissa potestas?

Et tamen ille idem Iuppiter, qui hæc se præstare non posse profitetur, multo promittit ampliora, & ipsam lignis aridis, ac prope iam corruptis pollicetur diuinitatem.

Immo vbi defunctæ finem, portusq. tenebunt
Ausonios olim, quæcumque euaserit vndis,
Dardaniumque Ducem Laurentia vexerit arua,
Mortalem eripiam formam, magnique iubebo
Aequoris esse Deas.

Quàm ergo pugnant hæc inter se? non posse naues, incolumes præstare,

ſtare, aut vindicare ab interitu, poſſe tamen eaſdem Deas facere.

Secunda ratio contendit, figmentum hoc, & epiſodium eſſe fruſtra excogitatum, nec quicquam poëmatis conſtitutioni conferre: cum neque coagmentet, neque ſoluat ſyntheſim, ac fabulam ipſam, nec aliud addat ijs momentum rebus, quæ tractantur in opere.

Tertia, dictorum, verborumque non ferendam repugnantiam demonſtrat, hoc modo. Pollicetur Iuppiter, Deas marinas ſe facturum ſingulas omnino naues, quæ tempeſtatibus ereptæ peruenerint in Italiam, eòque Troianos importauerint, vt paulo ante vidimus. At aliquæ naues, certè vna, qua vectus eſt Aeneas ad Euandrum, quæque abeſt, dum à Turno incenduntur reliquæ, & diuinitus conuertuntur in Nymphas, non ea donatur diuinitate, quæ ſingulis omnino promittitur à Ioue.

Quarta ratio reprehendit nominatim translatum audax, & loquendi formam inſolentem, quæ Parcas facit nentes, & ſuccidentes nauium fila; perinde ac ſi naues illæ quædam eſſent animantes. Nemo quippe legit vmquam in antiquorum monumentis, Parcas aridorum lignorum, lapidumue nere, aut ſuccidere vitam: & tamen dicere non dubitat Virgilius.

Ergo aderat promiſſa dies, & tempora Parcæ
Debita complerant; cum Turni iniuria Matrem
Admonuit ſacris ratibus depellere tædas.

Alia præterea ſunt, quæ differit aduerſus Virgilium Caſteluitrus: ſed prætermittere libet; quia non tantum videntur habere robur, ac vim, vt euerti facili negotio non queant. Iis autem, quæ propoſita ſunt, ſic ego reſpondeo per partes, ac ſingillatim.

Ariſtoteles ait quidem eo loco, illa nobis incredibilia videri, quorum ſimile nihil factum accepimus: ſed tradit etiam illud in cap. xxiij. eſſe confugiendum ad famam, cum aliquid effingere volumus ſupra modum, rationemque communem; vt qui legunt, audiuntque figmentum incredibile, fidem ſaltem habeant famæ, quæ ſic vulgauerit. Hoc ergo cum probe noſſet Virgilius, intelligeretque, metamorphoſim illam nauium abhorrere à communi ratione, ac modo fingendi, aduocatis Muſis, à quibus illud inauditæ rei miraculum fama vulgatum apud antiquos accipere ipſe potuiſſet, reddit veroſimile, quod alioqui fuiſſet incredibile.

Quis Deus, ò Muſæ, tam ſæua incendia Teucris
Auertit? tantos ratibus quis depulit ignes?
Dicite. priſca fides facto, ſed fama perennis.

Id quod etiam aliàs facit in catalogis, multos enumeraturus, quorum nomina illi cognita eſſe non poterant, niſi ea accepiſſet à Muſis, quarum, & inſtinctu canere, & familiaritate vti poëtæ credebantur.

Hinc enim fiebat; vt crederent facilè legentes; poëtam aliquid ab antiqua fama traditum scire beneficio Musarum, quod ceteri prorsus ignorarent.

Sed tamen fingi non debuit, dicet aliquis, id fama tradi, atque à Musis dici, quod nè à Dijs quidem ipsis aliquando factum diceretur fuisse, aut fieri posse putaretur. quasi vero necesse sit, idem omnino factum esse, vt fieri posse credatur. Satis erat antiquis, id ex fabulis esse compertum, homines à Dijs fuisse sępe conuersos in arbores, arbores ipsas in homines; vt credibile putarent, ijsdem Dijs eam tributam esse facultatem, quæ Deas facere posset ex nauibus.

Atque hoc prorsus voluisse sibi crediderim Aristotelem in cap. illo vij. cum ait, ea esse incredibilia, quæ numquam facta fuisse scimus. puto, inquam, voluisse, id nos existimare fieri non posse, cuius aliquid genere saltem simile factum non sit. At multa huic nauium metamorphosi genere similia facta diuinitus existimasse veteres illos, & superstitiosos homines, docent fabulæ; quæ admirabiles, atque incredibiles quasdam celebrant mutationes lapidum, aliarumque rerum inanimarum in homines. Neque enim illi de Dijs suis opinionem ita restrictè parcèque consignarant animo, vt crederent eos non posse ex rebus inanimis Nymphas, ac Deas marinas facere, qui ex ijsdem nullo negotio facerent homines. nec tam excellentem Deorum, Dearumque suarum naturam esse intelligebant; vt plus putarent esse, Nymphas è lignis procreare, quàm è lapidibus homines extrudere. facere quippe ex lapidibus hominem, & ex ijsdem facere Nympham, ac Deam, nobis quidem genere similia non sunt, qui rectè de diuinitate iudicamus, sed antiquis erant genere similia, qui opiniones de Dijs informauerant animo crassas, & adipales.

Dicebat deinde hic Censor in prima illa sua, quam exposuimus, ratione, non constare sibi poëtam: cum canat, Iouem non posse naues seruare, quas possit facere Deas. sed redigere sibi debet in mentem, hoc etiam antiquos existimasse: fata supra Iouem esse; neque illum posse fata peruertere, aut immutare. Sunt Regibus serui, aiebat Philemon, Rex seruus est Deo, Deus necessitati. & Herodotus, præstitutam sortem ne Deo quidem fas esse, dixit, effugere. Quin Seneca ipse tam sapiens, in libello de prouiden. cap. v. huic antiquorum opinioni ita subscribit. Eadem necessitas, et Deos alligat: irreuocabilis diuina pariter, atque humana cursus vehit. Ille ipse omnium conditor, ac rector scripsit quidem fata, sed sequitur. semper paret, semel iussit. Concinit Lucanus in libro secundo.

Finxit in æternum causas: qua cuncta coërcet,
Se quoque lege tenens.

Cum ergo necesse haberet Iuppiter fatis parere; à quibus decretum iam

iam erat, vt naues illæ tandem aliquando perirent, non poterat eas ab interitu vindicare; quod vetabant fata; poterat tamen facere Deas, quod eadem fata patiebantur. Sed pugnant hæc inter se; Iouem condere fata, & eundem Iouem subesse fatis. pugnent, vt cetera superstitionis antiquæ dogmata: non tamen hinc sequitur, à Virgilio pugnantia fingi, qui suæ superstitioni congruentia, & consentanea dicit: sed tantum consequens est, antiquos locutos esse pugnantia de Dijs, quod & dandum, & clara voce profitendum est.

In secunda ratione contendebat, commentum illud esse superuacaneum: cum eius vi neque soluatur fabula, neque colligetur. Cui quidem criminationi (quoniam obijcitur idem) satis credo, responderi posset, repetendis ijs, quæ de Atlantis illa descriptione diximus in lib. Aeneid. iv. cum præsertim hoc episodium non à verosimili modo, quod esset satis, verùm etiam ex necessario nasci videatur. Nam, quia diuinitus illæ naues tam sæpè fuerant in itinere ex tempestatibus ereptæ, quia erant ex sacris illis Berecynthiæ trabibus cõtextæ, quia Aeneam iam, Troianosq. in littus exposuerant ab oraculis designatum, emeritis quasi stipendijs, præmium reposcere videbantur. Consentaneum ergo rationi erat, non sic eas perire, atque putrescere, quemadmodum intereunt, & corrumpuntur ceteræ; sed laboris sui fructum aliquem capere diuinum, atque immortalem, illi similem, quem cepit Argo nauis: quam itinere à Dijs designato perfunctam fabulæ iam collocarant in cœlo. In quo sanè Virgilius antiquorum illa figmenta longè vincere videtur; cum non inter sidera referat, aut in sidera commutatas velit naues suas, quod iam vsitatum erat, sed euentu admirabiliore faciat Deas, quod à nemine fuerat excogitatum. Esse quippè fingendum quod admirabilius est, diximus ex Aristotele supra. Confirmo itaque hoc episodium esse necessarium, & cum alijs appositè fabulam, ac constitutionem poëmatis illigare. Illud enim Aristoteli est episodium necessarium, quod maximè congruens, & consentaneum est, vt disputauimus in lib. iv. de Atlantis descriptione.

In tertia ratione requirit idem Censor numerum nauium, quæ conuertuntur in Nymphas. Non enim hic numerus videtur constare; cum absit Aeneas aliqua naui sine dubio vectus ad Euandrum. Sed liberabo illum ista suspicione diuinando quod aliter scire, ac cognoscere non possum. Sic enim animum induco meum; eam nauem, quæ vexit Aeneam, redijsse in portum, atque vnà cum ceteris incendio corruptam fuisse. Aeneas enim ab Euandro digressus, in Etruriam terrestri perrexit itinere: reuertitq. demùm ad suos cum ea classe, quam ei Tyrrheni comparauerant. Ad hæc: ea nauis, quæ vexit Aeneam, non ex Idæ trabibus Berecynthiæ sacris contexta fortasse fuerat, sed in Si-

ciliæ littore tunc fabricata, cum multæ sunt incensæ à Troianis illis feminis in furorem actis.

In quarta ratione audacem, insolentemq. loquendi formam irridet, vtque magis irridendam proponat, poëtæ calumniam imponit, fingitque cum feciſſe Parcas nentes nauium vitam, & ita locutum.

---------- & debita Parcæ
Fila legunt:

cum ille multo sapientius dixerit.

Ergo aderat promiſſa dies, & debita Parcæ
Tempora complerant.

Parcam enim hoc loco appellauit eam neceſſitatem intereundi certo quodam tempore, quam omnibus rebus credebant impoſitam. Exiſtimarunt enim veteres illi, omnia, quæ orirentur, ſiue animalia eſſent, ſiue plantæ, aut etiam ædificia, & vrbes, non modò ſuum habere Genium, à quo regerentur, verum etiam ſub fati, Parcarumque eſſe poteſtate: quas idcirco multi dixerunt eſſe filias neceſsitatis. Voluerunt adeo eſſe tres per tria tempora diuiſas, vt hanc fabulam interpretatur Ariſtoteles, ſiue auctor libri de Mundo: quarum vna res præteritas, altera venturas, tertia præſentes ſignificaret; earumq. omnium euentum, ac finem certo tempore neceſſarium Parcam appellarunt. Id ergo ſibi voluit Virgilius, cum dixit Parcas cõpleſſe tempora debita nauibus; aduenisse nimirum præſtitutam à fato diem, quæ illis aliquando tandem imponeret neceſſariò finem. Quare nulla ſunt fila, quæ ducant nauibus apud Virgilium Parcæ, ſed complent tempus vnicuique rei etiam inanimæ circumſcriptum. Quamquàm enim idem re ipſa videtur eſſe ſuccidere tempus, ac ſuccidere filum, ratio tamen vna, & forma loquendi conuenit in animantes ſolum, altera cadit in omnia propter opinionem illam antiquorum.

LOCVS II.

DE MELIORI PARTE DIEI.

Quænam ſit: & quàm in ea deſignanda Scriptorum ſententiæ varient.

Nunc adeo quoniam melior pars acta diei,
Quod ſupereſt, læti, bene geſtis corpora rebus,

Procurate

Procurate viri: & pugnam sperate parati.

Quia Turni verba sunt hæc, nauibus incensis, exultantis, ac de vallo, murisque Troianorum aggrediendis, rescindendisque, cogitantis, dubitarunt Grammatici quid sibi vellet cum diceret, præteritam iam esse meliorem partem diei.

Antequam de re quicquam statuamus, illud ex antiquorum vsu repetimus quod maximè possit hunc locum illustrare: duplicem apud eos fuisse diem, vt est apud Gell. lib. iij. cap. ij. vnum in horas, hoc est in partes diuisum æquales viginti quatuor; qui dies artificialis est: alterum, qui ortu, occasuq. solis continebatur, in horas & partes distributum duodecim, & quidem inæquales; qui dicitur naturalis. Necesse enim erat has partes duodecim nunc augeri, nunc minui singulas, pro lucis ipsa, intra quam continebantur, varietate. Harum ergo duodecim horarũ diei naturalis, quæ hiberno tempore breuiores, æstiuo longiores erant, sex omnino toto anno negotijs transigendis dabantur, & labori; aliæ sex quieti, balneo, conuiuijs, procurationi corporis tribuebantur: id quod Martialis expressit in lib. iv. epigrammate illo nobili, & ab omnibus iam in hanc sententiam producto, semperq. producendo; quia rem digito designat in hunc modum.

Prima salutantes, atque altera continet hora;
Exercet raucos tertia causidicos.
In quintam varios extendit Roma labores:
Sexta quies lassis, septima finis erit.
Sufficit in nonam nitidis octaua palæstris.
Imperat extructos frangere nona toros.
Hora libellorum decima est Eupheme meorum,
Temperat ambrosias cum tua cura dapes.
Et bonus ætherio laxatur nectare Cæsar,
Ingentique tenet pocula parca manu.
Tunc admitte iocos. gressu timet ire licenti
Ad matutinum nostra Thalia Iouem.

Significatum est idem breuiter ab incerto poëta in epigrammatis Græcorum, pulcherrimo sane disticho.

Ἕξ ὧραι μόχθοις ἱκανώτατα. αἱ δὲ μετ' ἀυτὰς
Γράμμασι δεικνύμεναι, ζῆν λέγουσι βροτοῖς.

Quos versus Volaterranus haud omnino bene ita Latinos facere conatus est.

Sex horæ tantum rebus tribuuntur agendis.
Viueque post illas. littera Zetha monet.

Existimauit nimirum, nihil aliud auctorem sibi velle, nisi nos à sexta Græcorum littera ζῆτα, quæ septimum significat numerum, dictaq. videtur à ζῆν, quod est viuere, admoneri, vt post horas sex negotijs,

curisq. tributas, viuamus, hoc est procuremus corpus, & otium, requietemq. capiamus. Id sanè verum aliqua ex parte est. Sed nec fideliter Græca vertit, nec satis assequitur poëtæ consilium, qui hoc monitum non vult nobis tradi tantum à littera ζῆτα, sed à sequentibus etiam litteris, quibus aliæ demonstrantur horæ. αἱ δὲ μετ' αὐτὰς γράμμασι δηλοῦνται, Itaque videtur auctor scripsisse distichon illud in horologium aliquod, vbi primæ sex horæ scriptæ sex Græcorum notis arithmeticis essent, α β γ δ ε ς', aliæ sex cõsequentibus ordine numeris; quorum primi quatuor sunt ζ η θ ι, quas litteras si componas, efficies ζῆθι, & viue significabis. Non ergo dicendum fuit, ζῆτα tantum nos admonere, vt viuamus, sed litteras etiam proximè consequentes. Rem adeo vidit melius, expressitq. fidelius sententiam Alciatus hoc modo.

In sextam labor vsque horam. nam quæ inde notantur
Litterulis, vitæ commoda habere iubent.

Expressit inquam sententiam melius, sed tamen in verbis solutior esse voluit, ac licentior. Quare viris doctissimis, & Græcæ linguæ scientissimis, cum sententiam, tum singula etiam verba placuit Latinè sic reddere.

Sex horae sat sunt operis, quæ deinde sequuntur
Ordine, litterulis viue notant homini.

Quibus in hunc modum expositis, profero Adriani Turnebi primam interpretationem in Aduers. lib. iij. cap. xiv. qui meliorem diei partem censet nihil aliud esse, nisi maiorem. Maior, inquit, pars è duodecim horis, septem primarum est: quæ cum exactæ sunt, maior, & melior pars acta est: sed multo magis cum exactæ sunt octo, vel nouem, vel decem horæ, vt cum adueſperascit, quod tempus Turnus significauit: tamen exacta septima hora maior pars acta est, vel teste locupletissimo Iurisconsulto Paulo, qui ita scribit. Cuiusque diei maior pars est horarum septem primarum diei, non supremarum. Ita Turnebus hunc locum interpretatur, ratus, quod est, hìc esse sermonem de die illo, quem Romani diuiserant in partes duodecim. Itaque totam causam, cur ab hora septima, diei pars reliqua sit deterior, confert in vesperam, quæ appropinquat, appetitq. paulatim: perinde ac si dicat, illam esse meliorem diei partem, quæ est maior; illam deteriorem, quæ reliqua est, & minor.

Altera interpretatio est Alciati Iurisconsulti. Qui explicat rem amplius, causamq. nobis locupletiorem demonstrat, cur reliqua diei pars deterior sit, præterita melior, siue diem illum horis constantem inæqualibus, siue compositum ex paribus intelligere velis. Sic enim ipse Pauli Iurisconsulti locum eundem ex tit. de verbis signific. paulo ante productũ explanat, vt significet, eum velle, partem diei reliquam esse deteriorem, quia minus accommodata rebus agendis est, siue illa ma-

la maior sit, siue minor. fieri quippe potest, vt si ex eo die, qui constat horis viginti quatuor, totum illud secernamus temporis spatium, quo sol terras illustrat, inueniamus esse diuisum in horas quindecim æquales è quatuor illis, & viginti. Tum verò contendit primas sex, aut septem horas esse maiorem partem, hoc est meliorem; quia reliqua pars diei, quamquam maior est, est tamen deterior, nec rebus agendis tam opportuna. idque sibi voluisse ait Paulum Iurisconsultum, cum dixit. cuiusque diei maior pars est horarum septem primarum, non supremarum. Cum enim hunc Pauli locum protulisset, hæc adiunxit verba, quæ dilucide id, quod diximus, explicant: vt meritò sequens pars, inquit, licet longior, tamen minor à Iurisconsulto existimata sit: quòd vespere non ita vegeti, promptique, sicut mane sumus. & hanc poëta noster Virgilius meliorem vocat. Hesiodus quoque, qui maturius manè operetur, tertiam operis partem conficere ait. Qui ergo à meridie ad occasum opus faciet, dimidiam operam prestitisse non dicitur, nec diurnæ mercedis dimidium meritò consequetur. Hactenus Alciat. meliorem diei partem non tam maiorem intelligens, quam matutinam; quæ melior esse videatur.

Tertiam interpretationem apud Nonium Marcellum inueni: quæ, quoniam & videtur acutior, & scriptoris est antiquissimi, erit procul dubio ceteris anteferenda. Censet ergo Marcellus in cap. i. de compendiosa doctrina, primam diei partem à Virgilio dictam esse meliorem, ex viuentium ætate animalium desumpta metaphora. Aetatis enim melior ea pars est, quæ posteriores antecedit, quæque nacta nomen est iuuentutis. In ea quippe vires non modo vigent, sed augentur, & crescunt: adeoque cum ceteris comparata partibus, quæ deteriores sunt, & melior, & optima dicitur ab eodem Virgilio.

Optima quæque dies miseris mortalibus ægris
Prima fugit: subeunt morbi, tristisque senectus,
Et labor, & duræ rapit inclementia mortis.

Meritò itaque posteriorem ætatem, quæ iuuentutem sequitur, idem Marcellus appellat malam. malam enim docet ab antiquis dictam esse senectutem, in primisque à Plauto in Amphitr. *An mala ætate vis male mulctari exemplis omnibus?* & à Turpilio Comico. *Miserum puto, si etiam istuc ad malam ætatem accessit mali:*

Cum ergo senectus ætas mala dicatur, iure iuuentus ipsa bona, siue melior dicetur ætas: & prior diei pars, quæ videtur quædam esse iuuentus lucis, melior dici debet, quàm partes eiusdem lucis posteriores. Operæ pretium est, ipsa Nonij Marcelli verba proferre. Bonam ætatem quoque dicimus adolescentiam, vel iuuentutem. inquit M. Tull. de senect. Quod si ipsis voluptatibus bona ætas fruitur libentius, primum paruulis fruitur rebus. Nam prudentissimè noster

Maro

Maro diei partes primas quasi eius ætatem puberem meliorem dixit in lib. ix.

Nunc adeo melior quoniam pars acta diei.

Hæc eo loco Marcellus tradidit, quæ id maxime confirmare queunt, quod ab Alciato dicitur de matutinis horis multò magis accommodatis, opportunisque ad res agendas, quàm pomeridianis, & vespertinis. Nam qui primas illas horas meliorem diei partem, & quasi diei iuuentutem appellat, demonstrat haud dubiè eam partem esse, quæ negotia quasi iuuentus quædam acerrimè transigat, reliquas consequētes esse eas, quæ à curis alienæ grauioribus sint, & tamquàm otio quodam, ac senectute tabescant. Quod si miretur quispiam, nec facilè credat, à Virgilio, qui tam verecundis vtitur metaphoris, diem dici iuuenem, aut senem; meminerit necesse est, ab eodem Virgilio diem tumulo etiam condi, componique sepultura cum occidit,

Ante diem clauso componet vesper Olympo.

Saepe quippe apud Latinos componere est humare, ac sepelire. atq. hanc sequutum opinor metaphoram Statium cum dixit in Theb. x.

Cond iderant iam vota diem.

LOCVS III.

AN VERA SINT QVAE DE PVERIS GELV duratis in Italia, commemorantur.

Non hic Atridæ, nec fandi fictor Vlysses.
Durum à stirpe genus. natos ad flumina primum
Deferimus, sæuoque gelu duramus, & vndis.

Ita Numanus ille; cui Remulo cognomen erat, in Troianos vallo circumseptos inuehitur: & quia falsa gloria videtur insolenter efferri, facit vt multorum pateat reprehensioni Virgilius. Dicunt enim, illum morem Germanis, siue Celtis, Spartanis, ac Liguribus fuisse proprium; qui filios primum natos, fluminibus, ac frigidis aquis durabant; non Italis, & ijs, qui degebant in Latio. De Liguribus commemorat hoc Possidonius, & Aristoteles, vt docet Petrus Victor. lib. xxxiv. var. cap. ij. De Spartanis Seneca in lib. Suasoriarum primo. Omnibus, inquit, sua decora sunt. Athenæ eloquentia inclytæ habebantur: Thebæ sacris, Sparta armis. Eurotas amnis hanc circumfluit; qui pueritiam indurat ad futuræ militiæ patientiam.

Confirmat

Confirmat eadem de Spartanis Plutar. in Lycur. De Germanis scripsit hoc Galenus in lib. primo de valetudine tuenda, eum morem constantissimè reprehendens. Quis nostrum, inquit, pateretur puerum tum primùm natum, & calidum adhuc ad fluuium deferri, ibique, quemadmodum fieri dicitur à Germanis, tamquam ferrum candens sic aquis demergi ad naturæ vim explorandam, corpusque reddendum robustius? Ita Galenus. Verum alij non hanc Germanis fuisse causam dicunt, cur demergerent infantes: sed quod explorare vellent coniugum fidem, & ex ea demersione discere, incorruptine, ac puri partus essent, an adulterini, & spurij. Scuto enim, statim vt nati essent, exceptos pueros imponebant in Rheno. quod si scutum cum infantulo fluitaret, nec mergeretur, illum pro vera, & germana sobole habebant, ac educabant. sin autem absorberetur profundo, spurium existimabant fœtum, ac propterea, non tollebant, sed abripi fluctibus, ac mori sinebant in fluuio. id quod breuissimè perstrinxit Claudian. in Rufin. lib. ij.

Et quos nascentes explorat gurgite Rhenus.

Amplius quippe de tota re ignotus auctor in lib. primo Græcorum Epigrammatum luculentis explicauit versibus, quos fecerunt Latinos Ioannes Baptista Pius, & Ianus Parrhasius. Placet vtriusque interpretationem hîc ponere, ac primo quidem Ioannis Baptistæ Pij.

Audaces rapido Celtæ noua pignora Rheno
Explorant. non hos genitrix prius vbere largo
Alma fouet, vitreas fluuij quàm venit ad vndas.
Lympha nouum capit alma genus: quod remigis instar
Vmbo regit, fluidique effulcit corpus alumni:
Et fœtum sic vnda probat, lectumque iugalem
Damnat adulterij, fœdo si decolor igne.
Post dubios genitrix casus memor Ilithiæ
Ancipitis, fulcit gelidis in fluctibus ortum
Anxia despiciens cui mobilis annuat vnda.

Ianus vero Parrhasius paulo aliter eosdem versus Latinè vertit, videturq. totam epigrammatis sententiam magis contrahere.

Audaces rapido dubios in gurgite partus
Explorant Celtæ, donec dijudicet vnda.
Hæ numquam capiunt gentes noua pignora matrum,
Quàm prius imponant clypeo. tum flumina monstrant
An genus obliquum fuerit. post mater ad vndas
Egelidas tendit, natos visura recentes,
Et suspensa timet Censoris flumina Rheni.

Idem plane Celtarum institutum Iulianus Cæsar Apostata in epist. ad Maximum indicat, explicatque ad hunc modum. Non est Rhenus iniquus

iniquus aduersus Celtas, demergens adulterinos partus, legitimos subleuans. ita enim repetit poenas violati tori. Meritò itaque Nonnus in Dionysiacis Rhenum dixit ἔλεγχμόν iudicem, vindicemque coniugij. Hæc, inquam, omnia demonstrant, illam Celtarum consuetudinem, & perantiquum morem eò spectasse, vt exploraretur coniugum fides, non vt pueri durarentur frigidis aquis. Fieri tamen potuit, vt ea demersione sequerentur, & agerent vtrumq; hoc est, vt explorarent genuinos partus, & eosdem frigidis aquis durarent, redderentq. ad vsum militiæ robustiores. Vtcumq. res fuerit de Germanis, aliarum profectò gentium istum morem fuisse contendunt proprium, non eorum de quibus loquitur tam gloriosè Numanus. ex quo sequi volunt, imprudenter, & supra quàm poëtis liceat, mentitum esse in ea concione Virgilium. Respondent nonnulli, fas esse poëtis, aliquos certarum gentium mores ad eas nationes transferre, quæ illis moribus non vtantur. idque factum dicunt à Statio: cum in lib. Silu. iv. Silu. vj. non dubitauerit Hannibalem appellare Regem, qui Carthagine in libera ciuitate natus esset: vbi nullus creandorum Regum erat mos, sed Magistratuum, & Præfectorum.

Mox Nasamoniaco decus admirabile Regi.

Sed quia Statius Regem dixit eum, qui regeret exercitum, more Latinorum, apud quos singuli Præfecti, Rectoresq., immo etiam magistri, institutores, præceptoresq. dicuntur reges, vt est apud Horatium,

Actæ non alio rege puertiæ,

quia, inquam, in hanc sententiam Statius Hannibalem appellauit Regem, nec alium afferunt auctorem idoneum, qui doceat, ad alias gentes transferri posse nationum aliquos mores, & instituta propria, dixerim ego potius, Virgilium nihil esse commentum ex ingenio, sed tradidisse pro comperto quod obscurè, dubièque circumferebatur. Strabo quippè confirmat in lib. v. Romulum, ac Remum in Tyberim fuisse proiectos ex quadam eius regionis consuetudine perantiqua. Id ergo cum diceretur, & obscura fama vulgatum esset, satis Virgilio fuit, vt faceret ita gloriantem Numanum, & caneret versibus, ijs temporibus tam antiquis solitos fuisse illos Italiæ populos demergere pueros, qui postea Romulum, & Remum expositos ex ea consuetudine in Tyberim proiecissent.

Itaque vt respondeam ijs, quæ principio posuerunt isti pro rebus exploratis, ac certis, nego gentium illarum ita fuisse proprium eum morem, vt à nullis præterea vsurparetur. Nam de Thracibus docet eadem Valer. Flacc.

---------- vbi tam saeuo durauimus amne
Progeniem, natosq. rudes.

De Cantabris Strabo. Ait enim Cantabricas foeminas, cum primum pepe-

pepercerũt, suo loco viros decumbere iubere, ipsasquemet infantes abluere, atque inuoluere, ad alueum alicuius fluuij eos acclinantes.

Ac erat profectò idonea causa, & ratio, cur Virgilius, famam illam quantumuis leuem, ac coniecturam secutus, quam paulo ante indicauimus, diceret, Italos ita duriter educari. debuit enim effingere ferociſſimos eos populos antequam molliori disciplina mansuefacti fuissent; & demonstrare, ab idonea profectos institutione esse, qui postea bellicosiſſimi, & habiti sunt, & fuerunt. Admonet quippe Aristoteles in vij. lib. Politicorum cap. 17. parentes, vt teneros adhuc filios perferendis frigoribus assuefaciant; ne frigora ipsa corpus lædant, aut aegrotationes, ac morbos afferant, cum inciderint: afferrent autem, si acciderent pueris noua. Quin ita vult etiam Theodosius Imperator informari, & educari Regios pueros, vt iubeat apud Claudianum,

Frigora sæua pati, grauibus non cedere nimbis,
Aestiuum tolerare iubar, transnare sonoras
Torrentum furias, ascensu vincere montes,
Planitiem cursu, valles, & concaua saltu.
Necnon in clypeo vigiles perducere noctes,
In galea potare niues, nunc spicula cornu
Tendere, nunc glandes Baleari spargere funda.

At aliqui scriptores, Germanorum fuisse proprium dicunt eum morem. Dicant vt libet. ignorarunt videlicet, aliarum etiam fuisse gentium communem, de quibus ipsi nihil acceperant, sed acceperunt tandem aliquando alij, qui nobis sua monumenta reliquerunt.

LOCVS IV.

DE AQVILA ET CYGNO.

Vter eorum in certamine vincatur.

Quem Turnus pariter cursu, teloq. secutus
Increpat his victor. Nostrasne euadere demens
Speraſti te posse manus? simul arripit ipsum
Pendentem, & magna muri cum parte reuellit.
Qualis vbi, aut leporem, aut candenti corpore cygnum
Sustulit alta petens pedibus Iouis armiger vncis.

Compa-

Comparationem hanc improbarunt aliqui, Virgilium accusantes inscitiæ: quòd nimirum ignorauerit, aquilam à cygno in certamine vinci, non vincere: quemadmodum Aristoteles in lib.ix.histor.anim. docet. Cuius verba latinè sic reddidit Theodorus Gaza. Clores etiam planipedes sunt, & apud lacus, paludesque viuunt. aquilam, si pugnam ceperit, repugnantes vincunt. Et quoniam hæc reprehendi comparatio non potest, quin alia quoque reprehendatur in primo Aeneidos, damnant vtramque; immo vero multo magis accusant illam, quæ est in primo: cum in ea non vnum faciat cygnum ab aquila victum, sed profligatos multos, gregatim, confertimque agmine facto volantes.

Aspice bissenos lætantes agmine cygnos,
Aetheria quos lapsa plaga Iouis ales aperto
Turbabat cælo, &c.

Hæc enim comparatio omnem omnino defensioni aditum obstruit, quem patefacere videbatur ille multitudinis numerus, aquilæ repugnans, vt dicit Aristoteles. Potuisset enim aliquis respõdere, Aristotelem non cygnum dicere, sed cygnos, hoc est multos, & gregatim collectos aquilam vincere, Virgilium autem cygnum vnum ab aquila superatum fingere. Potuisset, inquam, aliquis ita rem eludere. sed hoc cygnorum agmen ab aquila victum intercludit effugium.

Duo tamen supereſſe mihi videntur ad defensionem accommodata præsidia. Primum est: si dicas, hoc in aliena esse peccatum arte, non in ipsa poëtica. erratur enim ex ignoratione naturalis historiæ, earumque rerum, quæ traduntur in physicis. Itaque peccatum est aduentitium, & accedens extrinsecus, quod poëtis ab Aristotele condonatur, vt alibi diximus, hoc est in Prolegom. Defens. i. Secundum: si confirmes, quod etiam supra docuimus, ex Arist. poëtas eligere debere potius quod falsum est, modò vulgo credibile sit, quàm verum, quod eidem vulgo sit incredibile. At vulgo multo magis est verisimile, cygnum ab aquila vinci, quàm aquilam à cygno. Omnes enim sic putant, & ita vulgo persuasum est: aquilam omnium esse Reginam auium, & dominatum in omnes accepisse, vt canit Horat.

Qualem ministrum fulminis alitem,
Cui Rex Deorum regnum in aues vagas
Permisit, &c.

Quam vulgi opinionem, & verisimilitudinem popularem, atque vendibilem eo magis anteponendam veritati putauit fortasse Virgilius, quòd vidisset ab Euripide in Helena illud ipsum de aquila traditum: cygnos nimirum in fugam verti ab aquila ac superari. Ibi enim Iuppiter cygni speciem mentitus ad occupandam, & comprimendam Ledam, iubet Venerem aquilæ formam sumere, ac se ipsum,

cygnum

cygnum iam factum insectari, vt per simulationem timoris in eius feminæ sinum conuolare possit.

LOCVS V.

DE INARIME.

An aliquid erratum sit in huius conformatione vocabuli.

Tum sonitu Prochyte alta tremit, durumque cubile
Inarime Iouis imperijs imposta Typhoeo.

Grammaticorum huc etiam impetus omnium est, eo nomine Virgilium oppugnantium, quòd Græcæ linguæ vim vel non probè tenuerit, vel hoc loco non considerarit. Putant enim hanc eum vocem [Inarimen] ab Homeri catalago mutuatum, vbi dicitur Typhoeus esse sepultus in Arimis, hoc est, apud populos Arimos. versus eius sic legitur.

Εἰν ἀείμοις ὅθι φασὶ τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.

Et quoniam alij quoque poëtæ Virgilium fortasse secuti, Inarimem scribere, ac dicere non dubitarunt, inuoluuntur in hac reprehensione cum principe. Reprehendunt itaque Valerium Flaccum, quòd dixerit.

Vt magis Inarime, magis vt mugitor anhelat:

Silium Italicum, quòd canere sit ausus in lib. viij.

Non Prochyte, non ardentem sortita Typhoea
Inarime, &c.

Accusationis caput, ac summa illa est; quòd non viderit eam vocem apud Homerum non esse compositam, sed Arimos illos populos Ionum præpositioni fuisse appositos, qui loco ἐν dicunt εἰν; adeoque ibi significari, Typhœum sepultum fuisse ἔν Ἀρίμοις, in Arimis, hoc est in ea regione, vbi populi sunt ἄειμοι: qui dicti videntur esse à Strabone in lib. xvi. etiam Arimæi. Eos inquit, appellat poëta Arimos, quos Possidonius ait esse accipiendos non in loco vllo Syriæ, vel Ciliciæ, vel alterius terræ, sed Syriam ipsã. Nam Arimaei sunt qui eã habitant. Et fortasse Græci eos Arimæos, vel Arimos appellabant. nominum enim mutationes permultæ sunt. Ita rem explicat Strabo, & Homerum ipsum interpretatur. Quod si verum est, frustra [illegible] in lib. xxvij. cap. x.

cap.x. ait Inarimen ab ipsomet nominatam Homero : cum præsertim in omnibus omnino codicibus, & apud Eustathium etiam, ac Stephanum scriptum sit ἐν ἀρίμοις. Tria sunt ergo, vt colligamus omnia, quæ Virgilius, vt isti contendunt, minimè vidit : populos illos Arimos fuisse, non Inarimos ; eosdem populos in Syria, vel Cilicia positos, non prope Prochytam, quæ in mari Tyrrheno est : Typhoeum denique non prope eandem Prochytam, sed in Syria sepultum fuisse.

Sed omnia eum vidisse, ac nihil in eo peccasse facile intelligemus, si teneamus Aristotelis defensionem vi. in cap.xxiij. ab eo propositam, expositamque à nobis in procœmio. Ibi enim diligenter animaduertere nos iubet Aristot. an vocabulum, quod reprehenditur, simile sit vocabulo alicuius alterius linguæ. fit enim sæpe, vt apud varias gentes eiusdem omnino vocis varia notio sit. Atque ideo monet, vt videamus, ne fallatur animus similitudine vocabuli. Id, inquam, si hoc attendamus loco, vacare Virgilium omni culpa comperiemus. Non enim ille populos Syriæ Arimos, aut regionem, ac terram, quam incolunt Arimi Græca lingua designat, cum Inarimen dicit, sed Latina, & sua commemorat Insulam Pythecusam, siue Aenariam, quæ dicitur etiam Ischia, sitam è regione sinus Puteolani. Inarime vero hæc insula appellata latinè est ab Arimis, siue hominibus siue belluis. Arimi enim Etruscorum lingua dicebantur olim simiæ, quas Græci Pythecos nominant. Accepimus verò Pythecusæ nomen huic Insulæ postea factum esse, propter simias, vel propter homines simijs similes, à quibus ea Insula teneri credebatur. Causam ex fabulosa narratione tradunt Harpocration, Xenagoras, & Suidas : affirmantes, à Ioue propter immania scelera quosdam homines, qui Cercopes dicebantur à Græcis, hoc est impostores, fuisse commutatos in simias: Insulasque, quas habitarent, dictas esse Pythecusas. Quin Ouidius in lib. metam. xiv. nominatim id accidisse canit prope Prochytam in Insula Aenaria, quam item Inarimen dicit, vel in aliquo eius Insulæ colle ; vbi scopuli essent, qui dicerentur Pythecusæ.

Inarimen, Prochytamque legit, viridique locatas
Colle Pythecusas, habitantum nomine dictas.
Quippe Deùm genitor fraudem, & periuria quondam
Cercopum exosus, gentisque admissa dolosæ,
In deforme viros animal mutauit, vt ijdem,
Dissimiles homini possent, similesque videri.

Non igitur vlla poëtæ fuit inconsiderantia, vel ignoratio Græcæ linguæ, quæ iunctis vocibus Inarimem conflauerit : sed summa prudentia, atque cognitio latinæ, qua sciebat, antiquos eam Insulam appellasse Inarimen, non quidem à populis [illegible]s Syriæ, sed à simijs. Iniquissimum

quissimum verò est illo accusari nomine, quòd quæ latinè tantummodo dicas, ea è Græcis fontibus male, ac perperam corriuaueris.

Vnum supereſt, quod de sepulcro Typhoei obijciebatur. Sed hoc etiam accusationis caput amputabit Aristoteles. qui, quemadmodum diximus in proœm. Defens. vlt. dat poëtis veniam, vt à vulgari discedant interdum opinione, & alicuius prudentis hominis, paucorumque sententiam eligant, ac sequantur. Scimus verò, non omnes omnino scriptores in Syria vel Cilicia sepultum velle Typhoeum: sed esse aliquos, qui in hac Pythecusa, de qua loquimur, humatum dicant. qualis est Apollonij interpres in lib. ij. Argonaut. laudatque testem, & auctorem Pherecidem, quem disertè ait tradidisse, Pythecusam insulam iniectam fuisse, impositamque Typhoeo.

LOCVS VI.

DE TYBERI FLAVO

An hoc adiunctum, in fluuium illum nobilem rectè conueniat.

Tum demum præceps saltu se se omnibus armis
In fluuium dedit. ille suo cum gurgite flauo
Accepit venientem, ac mollibus extulit vndis.

Turnus est, qui molli Tyberis alueo sic exceptus, quærendi nobis imponit curam, an rectè Tyberis dicatur à Virgilio flauus. Dubitandi causæ sunt duæ. Prima, quia cæruleus alibi dicitur ab eodem Virg. in lib. viij.

---------- Ego sum pleno quem flumine cernis
Stringentem ripas, & pinguia culta secantem,
Cæruleus Tybris, cælo gratissimus amnis.

Altera, quia Tyberis aquæ albæ verius sunt, quàm flauæ, aut ceruleæ. Idcirco enim antequam hic fluuius Tyberis nomen accepisset à Tybri Albanorum Rege ibi demerso, appellabatur ab antiquis Albula. id quod apud Virgilium ipsum in lib. item viij. ita testatur Euander.

Tum Reges, asperque immani corpore Tybris,
A quo post Itali fluuium cognomine Tybrim
Diximus; amisit verum vetus Albula nomen,

Hanc ego controuersiam breuissime componam Hesychio præeunte.

quem video docere; ξανθὸν apud Græcos esse quidem id quod flauum latinè dicimus, sed tamen interdum epitheton esse pulcritudinis: ita prorsus, vt quem pulcrum, ac formosum dicere volunt, eum nominent sæpe ξανθὸν Id vero vsu venit ex vi synecdoches. cui ea facultas, ac venia est, vt speciem sæpenumero substituat generi. Hinc enim fit, vt quia color ille flauus species quædam est pulcritudinis, possimus eos, quos pulcros vniuersè dicere volumus, appellare flauos. Hac ergo licentia, figuraque vsus Virgilius, cum pulcrum hic dicere vellet Tyberim, quem in lib viij. pulcherrimum dixerat, his verbis,

--------quocumque solo pulcherrimus exis,

flauum appellauit: & quidem haud minus bene, atque appositè, quàm Horatius, ode illa celeberrima cecinerit.

Vidimus flauum Tyberim.

Nec aliud profectò spectasse Catullum, aut sibi voluisse suspicor, cum Mellam Galliæ Cisalpinæ fluuium colore minime flauo præditum flauum tamen nominauit in epigrammate ad Ianuam, nisi vt intelligeremus pulcrum vniuersè pro flauo.

Flauus quam molli percurrit flumine Mella
Brixia Veronæ mater amata meæ.

Nullus enim est è scriptoribus antiquis, aut ex ijs, qui Mellam viderint, qui dicat eum fluuium esse flauum.

Eiusdem vsu figuræ video præterea nonnumquam à poëtis res eximiè, insigniteque pulcras dici purpureas. purpureum enim, quia species alia quædam est rerum pulcrarum, poni pro genere potest, quod factum à Virgilio videmus in primo Aeneid. vbi dicitur.

---------- Lumenque iuuentæ
Purpureum.

Et alibi.

---------- & lumine vestit
Purpureo.
----- Pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.
In mare purpureum violentior influit amnis.

Quæ omnia epitheta pulcrum vbique significare docet Seruius & Nicol. Erythræus in Indice. Quin apud Gell. lib. xviij. cap. xj. Furij veteris poëtæ versus sunt, in quibus euri dicuntur purpurare mare, hoc est facere, vt nitescat, & pulcrum sit, vel facere nitescere; quemadmodum ipse confirmat Gell. Furiana hæc sunt, inquit: quod terram in lutum versam lutescere dixerit, & tenebras in noctis modum factas, nocteſcere; & pristinas recuperare vires, virescere: & quod ventus mare cæruleum crispicans nitescere facit, purpurat dixerit; & opulentum fieri opulescere. Versus autem ipsos ex poëmatis Furianis, in quibus hæc verba sunt, subdidi.

Sanguine

Sanguine diluitur tellus, caua terra luteſcit.
Omnia nocteſcunt tenebris caliginis atræ.
Increſcunt animi, vireſcit vulnere virtus.
Sicut fulica leuis volitat ſuper æquora claſſis,
Spiritus eurorum virides cum purpurat vndas;
Quo magis in patrijs poſſint opuleſcere campis.

Ipſe etiam Columella, vt opinor, pulcritudinem commendat in viola, cum eius colorem deſcribit purpureum. quam enim pallentem dicit, eandem purpuream nominat,

Tum quæ pallet humi, quæ frondes purpurat auro
Ponetur viola.

Eadem eidem verbo ſententia eſt, ſed alia, hoc eſt, vſitata grammaticæ lex apud Tull. in Acad. Quid mare, inquit, non ne cæruleum, aut eius vnda, cum eſt pulſa remis, purpuraſcit?

Quod ſi hæc teſtimonia non omnino probantur omnibus, vnum eſt apud Horat. cui refragari nemo poſſit in od. j. lib. car. iv. Appellat enim olores, ac cygnos purpureos, hoc eſt pulcros, ita Venerem alloquens, quæ cygnis vehitur, & oloribus albis ad currum adiunctis.

Tempeſtiuius in domo
Pauli purpureis ales oloribus
Gomeſſabere Maximi.

Neque enim alia poteſt eſſe idonea cauſa, cur aues ita candidæ dicantur purpureæ, niſi quia pulcræ ſunt. Dictos quidem ibi olores purpureos ob roſtra, vel crura purpurea, alijſue de cauſis, putarunt aliqui: ſed quod diximus placet multo magis viris doctis. Maneat ergo, Tyberim flauum eſſe Tyberim pulcrum.

Supereſt vt videamus cur cæruleus etiam dictus ſit, quando de hoc etiam adiuncto incidit non modo mentio, ſed etiam quæſtio. Seruius eo loco, caeruleum, altum, ac profundum interpretatur. Cauſam eius interpretationis ipſe non aperit, nec ego poſſim facile diuinare. An quia quemadmodum cælum, à quo cæruleum dicitur, eſt altum a nobis, excelſumque, ſic Tyberis altus eſt, atque profundus? Mirum hoc mihi videtur: nec in animum inducere poſſum, tam altè, longeque repetere illud adiunctum voluiſſe Virgilium. An quia cæruleum nigro videtur eſſe finitimum, ſignificabitque propterea poëta, eſſe Tyberim altum, quemadmodum apud Homerum fluctus niger, altus eſt fluctus, ac mare profundum? Hoc verò multo magis mirum eſſet in Tyberi, qui numquam, vt mare, tempeſtatibus nigreſcit, aut fluctibus concitatur.

Exiſtimo itaque cæruleum Tyberim eo loco dici ab accerſito, aduentitioque colore, qui fluuijs accidit ex aëris luce varia, & ex impendentibus, atque inumbrantibus circa frondibus arborum. Duo

quippe ſingulis fluminibus colores ſunt: alter inſitus, ac natiuus: alter extrinſecus accidens ab aëris luce, ab arundinibus, ac virgultis imminentibus. Prior ille varius eſt pro locorum, alueorumque varietate. poſterior eſt ſemper cæruleus. Ducit me in hanc coniecturam Cornelius Fronto Grammaticus, qui cærulum, ac cæruleum hoc inter ſe differre docet, quod cærulus naturæ color ſit, hoc eſt inſitus, & rebus naturalis, cæruleus naturam fingens, hoc eſt accerſitus, atque aduentitius aliunde; qualis omnino hic eſt Tyberinus apud Virgilium, de quo diſputamus. Itaque tametſi natura, & inſito colore albus eſt, dici tamen ab accerſito, atq. aduentitio, cæruleus poteſt.

Finis Libri Noni.

LIBRI DECIMI AENEIDOS

LOCVS PRIMVS.

DE ALTERO CATALOGO

An Etruriæ, Italiæque loca ordine perturbato recenſere Virgilio licuerit.

---------- Aeneia puppis
Prima tenet roſtro Phrygios ſubiuncta leones:
Imminet Ida ſuper, &c.
Maſſicus ærata princeps ſecat æquora Tigri, &c.

NQVIRIT amplius in hunc catalogum idem ille Macrobius, qui alterum exagitauit in ſeptimo. Ait ergo longe à magiſtro ſuo diſceſſiſſe Virgilium in hac nauium, & ducum ſerie contexenda. Homerus enim cum ſeriem texit, inquit, prætermiſsis Athenis, à Lacedæmonijs, atque à Mycenis ipſis, vnde rector exercitus originem ducebat, initium fecit. inde progrediens, modò mediterranea, modò maritima iuncta deſcribit. hinc rurſus ad vtrumque ſitum cohærentium locorum deſcribendum accedit: nec vllo ſaltu cohærentiam regionum in libro ſuo hiare permittit. Contra Virgilius, nullum in commemorandis regionibus ordinem ſeruat, ſed locorum ſeriem ſaltibus lacerat Adducit primum Cluſio, & Coſis Maſsicum: Abbas hunc ſequitur manu Populoniæ, Iluæque comitatus. poſt hos Aſylam miſere Piſæ: quæ in quàm longinqua ſint Etruriæ parte notius eſt, quàm vt adnotandum ſit.

dum sit. Inde mox redit Cerete, & Pyrgos, & Grauiscas. Hinc rapit illum Cygnus ad Liguriam, Ocnus Mantuam. Sed nec in catalogo auxiliorum Turni, si velis situm locorum mente percurrere, inuenies illum continentiam locorum secutum. Hactenus Macrobius. Reprehendit in summa poëtam ideo, & in eo peccasse contendit, quod regiones non percensuerit ordine, sed perturbatè, atque confusè.

Verùm hoc nullum omnino peccatum est: quia locorum ordinem, ac seriem in enumerationibus sequi poëtam non est necesse; cum is ordo ab ipsis etiam historicis negligatur. Nam Thucydides historicorum optimus in lib. iij. aggressus scribere de Mitylenæis, antequam narrationem illam absolueret, ad Lacedæmonios diuertitur: quorum rebus gestis non dum ad finem narrando perductis, Plateensium obsidionem commemorat; eamque mox inchoatam relinquens, Mitylenensis iterum belli mentionem inculcat: deinde Corcyræ seditionem arripit: quam ne perficit quidem, sed statim de Athenien-sium priore in Siciliam expeditione pauciſsima narrat. Tum eorundem Athenienſium in Peloponnesum nauigationem, & Lacedæmoniorum aduersus Dorienses bellum complexus, in ea transitum repente facit, quæ ad Leucadem à Demosthene duce gesta sunt. Inde in Aetoliam, ac post Naupactum abit: quarum gentium prælijs non dum prorsus absolutis, Siciliam rursus attingit. Ad extremum quemadmodum Delus expietur exponit, Argiuosque, & Amphilochicos ab Ambraciotis oppugnatos relinquit. Sed dices, hanc Thucydidis narrationem in tam multas conciſam partes reprehendi à Dionysio Halicarnassensi in Iudicio de Thucydide. Respondeo, à Dionysio non reprehendi locorum ordinem peruersum, confusumque, sed ordinem temporis, quem sequi maluerit Thucydides, quàm ipsam seriem, ordinemque rerum gestarum. quo factum sit, vt necesse fuerit loca confundere, & peruerso numerare ordine, dum singula, exponenda bella sunt, quæ eodem anno vel anni parte eadem varijs locis exoriuntur. Sic enim eam reprehensionem exorditur Halicarnasseus. Cumque nouam quandam, neque ab alijs tritam inire voluisset viam, in æstatem, & hyemes historiam partitus est. Contendit postea, melius eum consulturum fuisse narrationi suæ, si rerum secutus seriem fuisset: sed de locorum perturbatione loquitur nihil. Quin loca ipsa perturbato enumerare ordine necesse fuisset, etiamsi rerum seriem secutus esset. nascitur enim sæpissimè aliud ex alio bellum diuersis in locis, quae necesse est ab historico commemorari, non commemoratis intermedijs, dum ipse sequitur rerum seriem inter se connexarum, & reliqua repudiat, quae seriem illam continuare non possunt.

LOCVS

LOCVS II.

AN VIRGILIVS PLVRES, pugnantesq. secutus opiniones sit de mortalium obitu fatali: & an ei sequi licuerit.

Stat sua cuique dies: breue, & irreparabile tempus
Omnibus est vitæ.

Huius loci sententia videtur pugnare cum ea, quam expositit in libro quarto moritura Dido, in Aeneam accensa.

Sed cadat ante diem, mediaq. inhumatus arena.

& cum ea, quam ipsemet exprimit poëta in fine libri eiusdem iv. cum de Didone loquitur vulnerata iam, & cum morte luctante.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat,
Non dum illi flauum Proserpina vertice crinem
Abstulerat.

Nam quæ magis esse inter se pugnantia possunt, quàm hæc: vnicuiq. mortis diem à fato esse præstitutam, & tamen aliquem posse mori ante præstitutam à fato diem?

Exploratissimum est, fuisse varias ea de re sectarum opiniones, cum alij fatalem moriendi necessitatem ita crederent nobis ad certam diem, atque horam impositam, vt viuendi spatia nullo modo contrahi posse putarent, dicerentq. neminem omninò mori ante diem illum, quem fata designassent, & vitæ terminum esse voluissent: alij contra existimarent, illud vitæ tempus, quod vnicuiq. dedissent fata, posse contrahi, & succidi ferro, aut alio genere interitus fortuiti: vt disputat Gell. in lib. xiij. cap. j. illa Mar. Tullij verba perpendens ex Philippicis. Sed & si quid mihi humanitus accidisset, (multa autem impendere videntur præter naturam etiam, præterq. fatum) huius diei vocem testem Reip. relinquerem. Quo loco demonstrat præterea Gell. hanc opinionem aliorum quoque fuisse, Homeri præsertim, atque Demosthenis. Hoc, inquam, exploratum est; varias in hoc genere fuisse opiniones antiquorum, quæ sectas diuiderent sapientium in partes duas.

Sed compertum illud etiam esse debet; Virgilium secutum esse, ac probasse opiniones hasce varias duas in varijs sanè locis operis sui. Hic enim moriendi diem vult esse certum, & eum, qui mutari vllo ca-

su, vllaue ratione non possit: in lib. iv. eundem diem anticipari posse confirmat, & genere aliquo interitus violenti contrahi spatium illud viuendi, quod fata decreuerunt. Sic enim eum Virgilij locum interpretatur Aulus Gell. qui cum verba illa Ciceronis explicasset, de Virgilio hæc adiunxit. Illud tamen non prætermittendum est, quòd Virgilius quoque id ipsum, quod Cicero, de fato opinatus est: cum hoc in quarto libro dixit de Elisa; quæ mortem per vim potita est.

Nam quia nec fato, merita nec morte peribat.

tamquam in faciendo fine vitæ, quæ violenta sunt non videantur è fato venire. Ita, inquam, Virgilij sententiam nobis explicat Aulus Gellius: quam planius fortasse demõstrat Seruius ex illo eiusdem lib. iv. versu.

Sed misera ante diem, &c.

Haec enim interpretatus verba: non est contrarium, inquit, quod dixit in decimo.

Stat sua cuique dies.

nam, vt sæpè diximus, secundum sectas loquitur: & hoc secundum alios dictum est.

Cum igitur hæc explorata, & certa sint, videndum est an liceat poëtis in eodẽ opere varias, easdemq. inter se pugnantes opiniones sequi. Si Seruium audimus, sine dubio licet. sed præstat huic Grammatico grauissimos etiam philosophos, ipsumq. Homerum subscribentes adiungere. Galenus enim in lib. iij. de placitis, vbi Platonis, atque Hippocratis perpendit, comparatq. sententias, ad rem nostram accommodatissimè sanè sic loquitur. In hoc vero Chrysippi magnanimitatem admiror: quippe qui nobiscum nimis liberaliter agat. Perinde, inquam, vt causa postulat, satis mirari non possum. hominis enim erat, qui tot poëtas perlegisset, nosceretque ab ijs omnia decreta, alia alijs versibus introduci (id quod etiam Plutarchus in Homeri meditationibus ostendit) ea tantum ex ipsis colligere carmina, quæ decreto illi, quod ipse sectatur, facerent fidem: alia omnia quæ vel repugnarent, vel contrarium prorsus statuerent, omittere. Docet igitur his verbis Galenus potissimum duo. primum: poëtas vniuersè omnes nullam sequi certam de rebus opinionem, sed varias probare quantumuis inter se distractas, ac repugnantes. alterum: Homerum nominatim secutum esse opiniones omnium varias, & discrepantes, nunc has, nunc illas adprobans pro arbitratu, idque Plutarchum tradere, doctum virum, in commentarijs, quos pro eodem Homero, atq. ad defendendum Homerum promulgauit. Constat ergo non ex Galeni modò doctrina, quæ grauissima est, verùm etiam ex libello Plutarchi, quem ille laudat, quique etiam nunc omnium teritur manibus, fas esse poëtis, varias, diuersasque, & quidem inter se pugnantes, contrariasq. sententias sequi. Sed accedere præterea pos-

sit

sit etiam Zeno Stoicorum princeps. qui præclaris quibusdam commentationibus in Homeri tutelam, ac patrocinium editis, multa, quæ videbantur apud eum poëtam pugnantia, eo purgauit nomine, quòd alia ex veritate dicantur, alia ex opinione varia philosophorum. Ita quippe testatur Dio Chrysostomus in oratione lj. his planè verbis. Zeno quidem de Homero nihil omnino pronunciat: sed id tantummodo docet; alia eum scripsisse ex opinione, alia ex veritate: ne videatur contraria locutus esse, ac repugnantia. Quin Plato ipse hanc permittit poëtis licentiam ob eum furorem, quo corripi putantur inter canendum. Sic enim loquitur in libro iv. de legibus. Vetus fabula passim à nobis fertur, atque à ceteris omnibus confirmatur: poëtam, cum in Musæ tripode sedet, non esse mentis compotem, sed quasi fontem fluere, & quæcumq. influunt prorsus effundere. cumque eius ars imitatio quædam sit, & contrarios affectus hominum exprimat, sæpè cogi poëtam sibi ipsi contraria dicere, neque scire vtrum hæc, an illa vera sint.

Fas ergo Virgilio fuit, discordes illas opiniones probare, ac sequi, vt tantorum, & tàm multorum hominum declarat, ac decernit auctoritas. Et quoniam sic illi fas fuit, ac ius; demonstremus, non modò in terminis vitæ fatalibus sensisse, ac locutum esse repugnantia, verum etiam in alijs, quæ tractantur à physicis.

In primo lib. Aeneid. eam cæli partem, quæ vergit in meridiem, verticem appellauit, & cæli caput; aliquorum videlicet opinionem secutus, quos commemorat Caelius Rhodiginus in lib. j. cap. xj. vel xij. vbi copiosissimè disputat de caeli capite, pedibus, dextra, sinistra, totaq. mundi figura, & conformatione ex varia discrepantium doctrina Philosophorum. Virgilij verò versus, qui meridiem faciunt mundi caput, hi sunt.

Et iam finis erat, cum Iuppiter aethere summo
Despiciens mare veliuolum, terrasque iacentes,
Littoraq., & latos populos; sic vertice cæli
Constitit, & Lybiæ defixit lumina regnis.

Lybia quippe ad meridiem posita non potest à Ioue despici ex vertice, siue ex capite caeli, nisi cæli vertex, & caput in ipso meridie constituatur. At in primo Georgicorum alia omnia dicere videtur. Ipsum enim caeli verticem, ac mundi caput in septemtrionibus collocat, atque in Arctico polo: de quo versus profert huiusmodi.

Hic vertex nobis semper sublimis, at illum
Sub pedibus Styx atra videt, Manesq. profundi.

Quippe sequitur hic opinionem Varronis: qui mundi caput polum Arcticum esse volebat, eiusdem mundi infima, & quasi pedes Antarcticum, siue meridiem, dextram occasum, sinistram orientem. Immo

vero

verò in eodem primo Georgicorum, & quidem paulò post, neutram probat opinionem, vbi meridiem, ac septemtriones, hoc est mundi partes extremas sub geminis collocatas polis dextram nominat, ac sinistram.

Quinq. tenent caelum zonæ: quarum vna coruſco
Semper ſole rubens, & torrida ſemper ab igni.
Quam circum extremae dextra, laeuaq. trahuntur
Cærulea glacie concretae, atque imbribus atris.

Neutram, inquam, opinionem probat. quia cum in primo Aeneid. cæli caput, ac verticem facit meridiem, facit etiam sine dubio dextram, sinistramq. occasum, & orientem; polum Arcticum pedes. cum verò in primo Georg. constituit mundi verticem Arcticum polum, statuit etiam necessariò pedes in meridie, dextram, ac sinistram in occasu, & oriente. At hìc, quia dextram, sinistramq. ponit in polis, necessariò caput in oriente constituere debet; in occasu pedes. Quæ opinio de caeli constitutione, ac figura mundi, videtur fuisse Augurum apud Liuium in primo libro, & omnium propè vulgaris, atque communis: vt intelligere licet ex loco laudato Caelij Rhodigini.

LOCVS III.

DE LVCAGI MORTE.

An verosimile sit, Aeneam nomine illum suo appellasse.

Lucage: nulla tuos currus fuga ſegnis equorum
Prodidit, aut vanæ vertere ex hoſtibus vmbrae.

Ita pius Aeneas Rutulum illum, quem etiam interficit, dictis affatur amaris. Quem ego locum perpendendum existimo, quia Castelvitrus in Virgilium vehementer inuehitur, quòd Troianos, Rutulosq. inducat inuicem se nomine compellantes suo. Non enim est hoc verosimile, inquit; cum ibi tum primùm versari cœpissent Troiani illi hospites, aduenaeque, nec nosse possent eorum nomina, quibus cum nulla eis erat alia consuetudo, nisi digladiationis, & pugnæ. At Aeneas Lucagum hìc nominat, perinde ac si Troianus aliquis esset, aut notus ex longo conuictu. Neque verò est, cur ad Homerum confugia-

tur;

tur; qui Troianorum duces, Græcorumq. eodem modo se inuicem appellantes induxit. Nam illi diu, multumq. iam consueuerant simul, & ex longa tam multorum annorum obsidione alij alijs erant notissimi. Quin etiam duces sunt, qui suo se nomine nuncupant apud Homerum, non gregarij milites: qualis est apud Virgilium hic Lucagus, qui à Troianorum Imperatore appellatur ex nomine.

Ego verò non video primum quid causæ sit, cur vniuersè Virgilius idcirco sit reprehendēdus, quòd Troianos, Rutulosq. sic, vt dicitur, inducat inuicem se compellantes, cum præter Aeneam inductum inueniam omnino neminem, qui Rutulum aliquem appellet. Deinde negauerim, omnia nomina Rutulorum Troianis ignota fuisse; Aeneæ præsertim exercitus Imperatori. Fieri enim potuit; immò verò etiam debuit, vt aliquis ei nomenclator nomina significaret; non primorum modo ducum, sed minorum etiam hominum, aut gregarij alicuius nobilioris; qualem hunc fuisse Lucagum, conijcere licet ex curru, qui ducum, aut nobiliorum militum fuit. Huic verò cognitioni adeo longum tempus necessarium non est: sed erat illud satis, superq. ex quo Aeneas cum suis in Italiam venerat, & versabatur in Latio.

LOCVS IV.

DE DIVINATIONE MORIENTIVM.

An Virgilius Orodem moribundum Mezentio vaticinantem exitium rectè fecerit.

Ille autem expirans. Non me quicumque es inulto
Victor, nec longùm lætabere. Te quoq. fata
Prospectant paria, atque eadem mox arua tenebis.

Ita plane res accidit, vt Orodes vaticinatus est: sed quærere tamen hic oportet: an liceat ita vaticinantes inducere vulgares milites: cum diuinandi ratio, & vaticinium apud omnes gentes tributum sit sacerdotibus, Sibyllis, alijsque spiritu diuino instinctis, & numine correptis hominibus.

Qui tenent (quod saepe diximus) Virgilium esse planè Platonicum, intelligent facilè, quàm appositè fecerit eum hominem iam morti proximum prospicientem futura, & diuinantem. Platonici enim dixerunt

xerunt, duo esse animæ nostræ vehicula: primum appellarunt ostracium, hoc est fictile, siue testaceum, fragile, terrenum; quod corporeum est, nec ab ipso videtur corpore distingui; alterum nominarunt aethereum, hoc est igneum, siue caeleste. Animam enim illi putarunt delibari, decerpiq; de caelo, quasi particulam aliquam, ac scintillam: caelum verò ipsum igneum, seu potius ignem esse crediderunt. Ergo cum instat, atq. appetit tẽpus mortis, paulatim incipit animus, inquiunt ipsi, ab ostracio vehiculo recipere se in aethereum: & quò magis appropinquat morti, hoc magis attenuatur, atque ad suam illam regionem redit cælestem, à qua decerptus est, & delibatus. Itaq. multa tunc intelligit, ac prouidet, quæ in ostracio vehiculo intelligere, ac prouidere non poterat. Quin sæpè fit, vt diuinet, ac futura præsentiat, quemadmodum præsentiebat antequàm è cælo diuelleretur, atque in corpus impurum deflueret. Nata est hæc opinio, & doctrina à Zoroastre, manauitq. postmodum ad Platonicos: qui etiam versus ipsius Zoroastris laudant huiusmodi.

Οἷπ ψυχὴ πῦρ δυνάμι πατρὸς οὖσα φανὲν
Ἡγείδω ψυχῆς βάσις ἄμβροτον ὄμματα δ' ἄρσην
Πάντ' ἐκπέταται ἄνω
Μὴ δὲ τὸ τῆς ὕλης σκύβαλον κρημνῶ καταλήψη.

Quorum versuum hæc in summa sententia est, si verba latinè reddenda sint singula. Nam anima nostra Patris potestate ignis euadit splendidus: teque ducit immortalis animæ profunditas, facitque vt in sublime oculos tollas: non tamen sinens corpus concretum, crassumque deorsum in præceps ferri. Secuti sunt hanc Zoroastris opinionem antiqui illi Persarum Magi; secutus & Plato; secuti Platonici ad vnum omnes, vt docet Eustathius, Homeri versus illos explanans, quibus Patroclus vulneratus, & moriens Hectori proximè futurum denunciat interitum ab Achille.

Ἄλλο δέ τοι ἐρέω. σὺ δ' ἐνὶ φρεσὶ βάλλεο σῇσιν.
Οὐ θὴν οὐδ' αὐτὸς δηρὸν βέη, ἀλλά τοι ἤδη
Ἄγχι παρέστηκεν θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιὴ
Χερσὶ δαμεὶς Αἰακίδαο Ἀχιλῆος ἀμύμονος Αἰακίδαο

Vnum hoc nunc dictum tibi habe, quod pectore in imo
Condere te iubeo, nec enim tibi vita superstes
Ista diu, nec virtutis flos iste manebit:
Iam te fata vocant; tibi iam lux vltima vitæ
Imminet, inuicto quam mox sub Achille subibis.

Hoc, inquam, explanans vaticinium Eustathius ita disputat. Doctrina est antiquorum; animam à corpore solutam, ac liberam diuinæ naturæ propinquam fieri, & diuinandi nanciscí facultatem. Nominatim autem ferunt, Artemonem Milesium scripsisse in libello de Somnijs:

somnijs : animam in se ipsam quodammodò coactam, atque à corpore diuulsam euadere diuinam, & futuri prouidam in iudicando. Immo verò Plato ipse in Apologia Socratis hac de re loquitur in hunc modum. Ventum eò tandem est, vbi mortales diuinare solent. solent autem cum morti proximi sunt. Hæc Eustathius eo loco protulit, & ex aliena sententia, & de sua : eademq. prorsus de integro repetiuit in lib. xxij. Iliad. vbi moriens Hector Achilli propinquum è vita exitum, cædemq. sic vaticinatur, interprete Valla.

---------- *moriens tum sic Priameius Heros.*
Ferreus es: nec te vlla mouent, nec flectere possunt
Verba, precesq. meæ: nimis ah, nimis asper Achilles.
His saltem annueres. dabis ò, dabis improbe pœnas,
Improbe. te Paris, & lunato Delius arcu
Prosternet medio Scææ sub limine portæ.
Hæc ne audis? hoc omen habe, tecumq. reporta.

Neque vero Tullius hoc vaticinandi genus silentio præterijt, cum de diuinatione accuratè ac sedulò disputaret. Diuinare, inquit, morientes illo exemplo confirmat Possidonius, quo affert, Rhodium quemdam morientem sex æquales nominasse; & dixisse, qui primus eorum, qui secundus, qui deinceps moriturus esset. Omnium verò maximè probat hoc dogma Porphyrius in lib. de abstinentia ab esu animaliũ. Contendit enim posse homines etiam dum viuunt vti illo vehiculo cælesti tamquàm abstractos à corpore, ac diuinare, si cibo se, potuque contineant, nec plus alimenti capiant, quàm quantum tolerandæ, retinendæq. vitæ sit satis. Simplicius verò etiam libentius doctrinam hanc amplectitur, & explicat planius in commen. xxxvij. lib. ij. de cælo. Ceterum, inquit, si quis terrenum corpus segregatum, & cæleste vehiculum, quiq. in eo sunt sensus purificatos habeat, is aut propter bonam fortunam, aut propter vitæ probitatem, aut propter sacerdotalem perfectionem videbit quæ ab aliis videri non possunt, & audiet quæ ab aliis non audiuntur. Loquitur hic Simplicius de Pythagora, quem eius discipuli dicebant audiuisse illam cælestium orbium harmoniam, quæ à nemine vmquam audita fuisset; eiq. similes fore confirmat, qui se recipiunt in cæleste vehiculum.

Hæc à Platonicis traduntur, atque ab ipso Platone. Quæ tametsi falsa sunt, sunt tamen ea, quæ Virgilio diuinationem illam in moribundo milite comminiscenti, præstare potuerint olim apud legentes idoneam fidem. Id enim, quod à tam magnis dicebatur philosophis, erat ea tempestate credibile; non multitudini modò, quod satis poëtæ fuisset, verùm etiam doctis, & eruditis hominibus, qui philosophiam, ac rerum scientiam profiterentur.

LIBRI VNDECIMI AENEIDOS

LOCVS PRIMVS.

DE CYGNIS LOQVACIBVS.

An hoc epitheton in cygnos rectè, appositèque conueniat.

Haud secus, atque alto in luco cum fortè cateruæ
Consedere auium, piscosoue amne Padusæ,
Dant sonitum rauci per stagna loquacia cygni.

MIRVM hoc aliquibus videtur; quòd Virgilius obstrepentes, raucos, loquaces, appellet cygnos, quos plerique omnes faciunt suauissimè, dulcissimèq. canentes. Plato enim, vt hinc exordiar, in Phaedone; deterior, inquit, cygnis ad diuinandum vobis esse videor. illi quidem, cum se breui præsentiunt morituros, tunc dulcius admodum canunt, quàm antea consueuerint. Idem tradit Aristoteles, idem Gregor. Nazianz. qui cygni cantum musicorum omnium concentui, ac suauitati anteferre non dubitat. Eius hæc verba sunt. Quis vnà cum cygno canit, cum ille aëri alas expandit, sonumq. reddit melodiæ plenissimum? Nihil de poëtis dicatur: qui de hac dulcitudine, ac suauitate cantus vbique commemorant. Vnus Ouidius omnium nomine præcinere potest.

Vtq. senex ripa cantare Caistrius ales
Dicitur ore suam deficiente necem.

Respon-

Reſponderi poſſet : non id à Virgilio dici ; cygnos canentes inſuaues eſſe, ſed ſonitum fundere clamore rauco : id verò non ingratæ eſſe aſperitatis indicium : cùm ſæpe apud poëtas raucam lyram, aut citharæ ſtrepitum legamus, tametſi lyra, & cithara cum ſonum fundunt, ſuauiter accidunt ad aures. Poſſet, inquam, hoc modo reſponderi ; ſed non ſoluitur nodus. quia, ſi rationem, & cauſam videamus, cur Virgilius raucos, loquaceſq. dixerit cygnos, inueniemus, non metaphoricè, vt fieri ſolet in fidibus, quarum ipſa quoque placet aſperitas. ſed propriè, verèq. illos appellaſſe raucos, & inſuauiter obſtrepentes. Comparat enim eorum ſtrepitum, ac loquacitatem cum confuſo illo clamore concilij, ac multitudinis apud Latinum diſſentientis: qui clamor nullam profectò potuit habere ſuauitatem.

Flent moeſti, muſſantq. patres: hinc vndique clamor
Diſſenſu magnus vario ſe tollit in auras.
Haud ſecus, atque alto in luco cum fortè caterua
Conſedere auium, piſcoſoue amne Paduſæ,
Dant ſonitum rauci per ſtagna loquacia cygni.
Immo ait, ò ciues, arrepto tempore, Turnus,
Cogite concilium, & pacem laudate ſedentes

Itaque reſpondebitur fortaſſe melius : in hoc etiam nos videre oportere quod monet Ariſtot. vt diximus in Prolegom. defen. xv. an idem de eodem planè dicatur, an eodem modo ſe habeat, an referatur ad idem. Nam ſi varia intueamur tempora, ad quæ referri cygni canentes poſſunt, aliquod inueniemus fortaſſe tempus, quo ſtrepere illi potius, quàm canere videantur. Et profecto hæc de cygnis opinio vulgaris eſt; ſuauiter eos canere ſub interitum, atq. appetente iam morte. Quare cum Virgilius de huiuſmodi tempore nihil dicat, ſed de eo nominatim, quo ipſi tractim, gregatimq. feruntur ad paſtum circa Paduſam, nihil affirmat iis contrarium, qui volunt, cygnos morti proximos canoros, ac muſicos eſſe. Hæc ſanè reſponſio mihi maximè probaretur, niſi cygni dicerentur à ſcriptoribus ſemper quidem canori, ſed tum maximè, cum ſunt morituri. Id enim ſibi volunt ea verba Platonis ſupra laudata. Tunc dulcius canunt, inquit, quàm antea conſueuerint.

Rectius ergo ſic dicemus: eſſe etiam de cygni cantu varias, diſtractaſq. ſcriptorum opiniones, quorum alii ſuauiter admodum eos canentes faciunt, alii obſtrepentes, aſperos, inſuaues. De ſuperioribus auctoribus, qui cantum ijs attribuunt ſuauem, diximus, de poſterioribus videamus. Lucianus in libel. de Electro, cum cygnos vel deſcribit, vel commemorat, crocitant hi admodum, inquit, diſcordes, ac languidi. Idem videtur docere Menander Myndius apud Athenæum in lib. ix. cap. xvj. aut aliquid fortaſſe amplius. Ait enim cygnos ſe ſecutum

eſſe

esse quam plurimos, & ne à morientibus quidem vllum vmquam cantum exaudisse.

Athenæi verba sunt hæc. Mare pertranseunt, palmi pedesque sunt, & herbis vescuntur. Menander Myndius cum multos secutus esset, qui morituri essent, eos se non audisse canere dicebat. Non debet ergo reprehendi Virgilius, si eorum secutus opinionem, qui cygnos inconditos, & discordes volunt, strepentes hoc loco dixerit, ac loquaces, non canoros, & musicos. At reprehendi saltem ideo debet, dicet aliquis, quòd alibi suauiter canentes idem ipse fecerit, qui facit hoc loco loquaces, & asperos.

Ceu quondam niuei liquida inter nubila cygni,
Cum se se è pastu referunt, & longa canoros
Dant per colla modos.

Sed hæc profligata iam supra quæstio est; decretumq., licere poëtis in eodem prorsus poëmate, atque adeo in eadem poëmatis parte probare philosophorum opiniones inter se varias, & discrepantes. Vide locum ij. lib. x.

LOCVS II.

DE PALLANTIS EQVO LACRYMANTE.

An illæ lacrymæ verisimiles sint.

Post bellator equus positis insignibus Aethon
It lacrymans, guttisq. humectat grandibus ora.

Pallantis hic est equus, qui pompam sequitur funebrem, & dominum vita functum luctu, lacrymisq. prosequitur. Ab Homero tracta res est. apud quem in Iliad. xvii. Achillis equi, quibus è curru pugnans cum Hectore fuerat Patroclus vsus infeliciter, eiusdem Patrocli mortem cum lacrymis, & magna doloris significatione complorãt.

Iamque & Achillis equi procul à certamine pugnæ
Discurrere vagi, gemituq., & voce fremebant,
Cum primum dominum prostratum in puluere sicco
Aurigam sensere sub Hectore Principe Troum.
Quos tamen Automedon Dicreos inclyta proles
Verberibus, verbisq. regens hortatur amicis.

Illi

Illi nec pictas naues, & littora cursu,
Aequora nec lati repetebant Hellesponti,
Non in dura retro potuerunt prælia cogi.
Sed velut immoto statuæ de marmore fixæ
Signa sepulcralis tumuli, qui continet ossa
Mortua, siue viri, defunctæ siue puellæ,
Sic illi immoti, & firma in vestigia nixi
Perstabant curru iuncti, lacrymasq. cientes,
Quæ miseris calidæ malas per, & ora fluebant.

Hunc, vt dixi, sine dubio locum exprimit Virgilius, lacrymantem equum faciens ex desiderio Pallantis, non ex aliqua præsensione interitus sui, quemadmodum arbitratur Germanus. Putat enim Virgilium eo figmento voluisse significare, equum illum præsensisse, cum ipso se cadauere Pallantis exustum iri, ex antiquorum more peruetere: qui vnà cum demortuorum hominum cadaueribus res quasq. cariſsimas, arma, vestes, canes, equos, instrumenta, tum bellica, tum domestica cremare soliti erant. Homerum, inquam, imitari voluisse Virgilium reor, & ex Pallantis obitu flentem equum facere potius, quàm præsensionem tam incredibilem fingere. Sed tamen id etiam quæri potest, vtrum verosimile sit, & an liceat equum describere lacrymantem ex desiderio sessoris, atque ex obitu domini. Non enim minus fortasse ab equi natura, ingenioq. alienum est, ob domini mortem, quàm ob imminentem interitum suum lacrymari: cum soli homini datus esse fletus videatur. Similem huic loco quæstionem, supra tractauimus in lib. viij. cum de admiratione disseruimus, quam Tyberi, & siluis impendentibus idem Virgilius ex aduentu Troianorum attribuit. itaq. responsio posset hic eadem adhiberi. Diximus quippè dicemusq. copiosius in libello de Eleg. cap. iv. & v. duo esse imitationis poëticæ genera; vnum, quo personæ inducuntur agentes, aut loquentes: alterum, quod non inductione aliqua personarum, sed expressione, ac significatione verborum singulari, & quodammodo spiranti continetur. quæ spirans expressio, & significatio dicitur à Græcis ἐνάργεια, euidentia: vt cum res, quæ describitur, oculis cerni videtur. Dici adeo potest enargia esse vis orationis, rem excellenti modo ponentis ab oculos; quæ apud poëtas, cum narrant simpliciter, obtinet locum inductionis, & præstat idem prope, quod præstat inductio personarum; cum hæc verborum efficacitas, & vis a superlationibus, à metaphoris, & allegorijs petita, quoddam veluti rei simulacrum ob oculos ponat. Quid enim est aliud, ridentia prata, vel campos natantes dicere, quàm virentis prati, vel fluctuantis maris effigiem oculis ipsis quodammodo proponere? Id igitur est hoc loco memoria repetendum, inter illa duo imitationis genera hoc esse discrimen, quòd ea

personarum inductio debet esse verosimilis,& vulgo saltem credibilis: hæc autem enargia, & spirans expressio non necesse habet sequi verosimile, & id, quod vulgo credibile est,aut fieri potest: cum id, quod in ea dicitur, nõ proponatur à poëta tamquam credibile,& tamquam id, quod fieri simpliciter queat, sed tamquam aliquid, quod, si fieri posset,ita plane fieret. Itaq. cum dicitur Aethon equus Pallantis lacrymari, ac flere, non proponitur ille fletus,& lacrymatio tamquam credibilis,sed eius metaphoræ beneficio significatur, ita magnam esse materiam luctus in Pallantis funere,vt equus ipse,si possit lugere, flere debeat, & lacrymari. multo autem spirantior est expressio,si dicatur equus omninò flere, & lacrymari, quàm si dicatur lacrymari debere, si possit. Quare simpliciter in Ecloga v. dicuntur interitum Daphnidis ipsæ quoque belluæ,atque immanes feræ defleuisse.

Non vlli pastos illis egere diebus
Frigida Daphni boues ad flumina,nulla neque amnem
Libauit quadrupes, aut graminis attigit herbam.
Daphni tuum Poenos etiam ingemuisse leones
Interitum, montesq. feri, siluæq. loquuntur.

Ita,inquam,responderi potest, & similis nodus simili ratione dissolui. Sed tamen est alia respondendi via facilior, & explanatior, quæ possit etiam hanc magis, magisq. communire. Non enim necesse est in equorum lacrymis ad hyperbolem, & metaphoram confugere,quemadmodum in rebus, quæ numquàm factæ sunt, vel fieri non possunt, confugiendum nobis esse docet Aristoteles,quod diximus in Prolegomenis; defens.vii.Nam Plin.in lib. viij. cap.xlii.dat equis pugnæ præsagium,& veras lacrymas, indices, testesq. doloris ex obitu dominorum. Præsagiunt pugnam, inquit, & amissos lugent dominos, lacrymasq. interdum desiderio fundunt. Quin Isidorus in lib.xii.cap.j. non dubitat dicere,fletum,& lacrymas solius hominis esse,& inter belluas tantum equorum.De ipsis enim equis ita loquitur.Interfectis,vel morientibus dominis,multi lacrymas effundũt.Et paulo post. Solius equi, inquit, est, præter hominem lacrymari, & doloris affectum sentire. Sed hoc postremum non verè dicitur, cum etiam aliæ plures animantes doloris,& tristitiæ sensum apprimè significent,vt docet Ludouicus Cerda locum hunc Virgilianum illustrans, & multa proferens poëtarum,aliorumq. testimonia scriptorum, qui canes,leones, elephantos, tauros gementes ex dolore faciunt, immo etiam lacrymantes. Sed cum lacrymantes dicunt, gementes opinor,& querentes intelligunt, siquidem solis equis veræ lacrymæ datae sunt, vt contendit grauis auctor Isidorus.

Ceterum equorum lacrymæ fuere non numquam prodigiales, ominosæ, & calamitatem imminentem obnunciantes. cuiusmodi deprehensæ

henſæ ſunt in Iulij Cęſaris equis paulò antequam occideretur, vt ſcribit Suet. in Iul. cap. lxxxj. Equorum greges, inquit, quos in flumine Rubicone traijciendo conſecrarat, ac vagos ſine cuſtode dimiſerat, comperit pertinaciſſimè pabulo abſtinere, vbertimq. flere.

Sed ſiue ex dolore, ac triſtitia, ſiue aliquo ex prodigio profuderint equi aliquando lacrymas, idoneam Virgilio præbuerunt cauſam, cur caneret, equum Pallantis lacrymabundum, & triſtem eſſe proſecutum domini funus. Non enim fingit quicquam, quod fieri non poſſit, quodq. vindicari ab accuſatione per metaphoram neceſſe ſit; cum aliquid ſimile iam factum olim eſſe, teſtentur hiſtoriæ. Rectè enim ait Ariſtoteles in cap. vij. poet. id hominibus eſſe credibile, cuius aliquid ſimile factum ſciunt: quod dictum explicauimus accuratius in loco primo libri ix.

Finis Libri Vndecimi.

LIBRI DVODECIMI AENEIDOS

LOCVS PRIMVS.

DE MONOMACHIA AENEAE, AC Turni.

An prudenter effícta ſit.

Vndique enim denſa Teucri incluſere corona:
Atq. hinc vaſta palus; hinc ardua moenia cingunt.

AEC ita deſcribit Virgilius, cum Turnum fugientem facit; perſequentem Aeneam. Suſpicari adeo nos cogit monomachiam illam, & ſingulare tantorum Ducum certamen non fuiſſe prudenter expreſſum; cum Troiani tantummodo dicantur Aeneam circumſiſtere, campumque vallare, Turno interim deſerto, ac ſolitario. Quamquam enim Troiani non pugnant, fugam tamen eripiunt Turno ſic circumfuſi, & Aeneæ pugnanti animos addunt.

Ergo amens diuerſa fuga petit æquora Turnus,
Et nunc huc, inde huc incertos implicat orbes.
Vndiq. enim denſa Teucri incluſere corona.

Hæc, inquam, tam magna in ſingulari certamine præſidia, Aeneae circumfuſa, victoriæ gloriam eleuant, atque imminutum eunt fortitudinem illa m, quam ſibi celebrandam verſibus poëta propoſuit. Ita quippe victoria ex monomachia probabilis eſt, & ſpectabilis, ſi arma, ceteraque arenæ præſidia paria ſint. Videtur ergo Virgilius haud ſibi cauiſſe ab iis, qui hoc eodem nomine accuſant Homerum

in

in Hectoris, Achilliſq. certamine. Hectorem enim etiam ille ſolum, nulliſq. ſtipatum militibus, Achillem Græcis vndique vallatum exponit in campum. Inhibet quidem Achilles milites ſuos ſibi circumiectos, nutuque capitis deterret, ne vulnerent Hectorem: attamen admirabilior ea victoria fuiſſet; niſi milites illi Græci Achillem circumſtetiſſent armati.

Sed vidit hæc ſine dubio Virgilius, poëta prudentiſſimus, nec monitorem in hoc genere deſiderauit is, qui conſuluit ſemper acerrimum illud, ac prope diuinum iudicium ſuum. Neceſſe potius habent qui ſic diſputant, Virgilij totum illum locum perluſtrare diligentius, antequam litem intentent, & contèſtentur. Nam initio Turnus admonet ſuos, vt bello deſiſtant, manuq. ſignificat, velle ſe cum Aenea congredi ſolum, & ſingulari pugna decertare. Quo quidem edicto exercitus vterque in duas diſceſſit partes: pro portis, ac muris vrbis Rutuli, Latiniq. circumfunduntur, altera ex parte ſpatium claudunt, campumq. Troiani. ſic, inquam, Turnus initio iubet.

Significatq. manu, & magno ſimul incipit ore.
Parcite iam Rutuli, & vos tela inhibete Latini.
Quæcumque eſt fortuna, mea eſt. me verius vnum
Pro vobis fœdus luere, & decernere ferro.
Diſceſſere omnes medij, ſpatiumq. dedere.

Deinde in medio iam certamine dicuntur iterum illæ geminæ acies eſſe ſpectaculo circumfuſæ, & exclamare.

Emicat hic impune putans, & corpore toto
Altè ſublatum conſurgit Turnus in enſem;
Et ferit. exclamant Troes, trepidiq. Latini,
Arrectaeq. amborum acies. at perfidus enſis
Frangitur, &c.

Ad extremum cùm nullam Turnus à fuga ſalutem inueniret, Rutuli tumultu fremere trepido coeperunt, auxilium ſe ferre velle ſignificantes: quos Aeneas verbis, miniſque deterruit.

Ille ſimul fugiens, Rutulos ſimul increpat omnes,
Nomine quemq. vocans, notumq. efflagitat enſem.
Aeneas mortem contra, præſenſq. minatur
Exitium, ſi quiſquam adeat, terretq. trementes.

Niſi enim adeſſent ſpectaculo Rutuli, cur fremerent, cur appellarentur ſuo nomine ſinguli? Nimirum exercitus Rutulorum pro portis erat, ac moenibus, vt diximus: Latinus autem, alijque ſpectabant è murorum pinnis; quod indicare poëta ipſe videtur initio pugnae.

Iam vero & Rutuli certatim, & Troës, & omnes
Conuertere oculos Itali: quiq. alta tenebant
Moenia, quiq. imos pulſabant ariete muros:

Armaq. depoſuere humeris. ſtupet ipſe Latinus,
Ingentes genitos diuerſis partibus orbis
Inter ſe coijſſe viros decernere ferro.

Omnia ſunt ergo in hoc certamine paria, nec quicquam eſt, quod Aeneæ fortiſſimo viro vllam gloriæ partem eripere poſſit ex ea victoria, quam, non de Turno modo, ſed de tota pene Italia reportauit.

LOCVS II.

DE FINE TOTIVS OPERIS.

An abſolutum perfectumque poëma ſit.

Hæc à me quæſtio aliàs perſtricta leuiter eſt, & in primum orationum mearum coniecta volumen inter eas diſputationes, quas inſtitui de Virgiliani carminis allegoria. Placet tamen hìc de integro eam exponere, vt quod ibi ſummatim, præcisèq. dictum eſt, diſputetur hoc loco pluribus & accuratius.

Suſpicantur ergo plurimi, Virgilianum illud opus imperfectum, & curtum eſſe. quia vident Turni caede terminari, nec ijs abſolui Lauiniae nuptijs, occupatione Regni, Aeneæ conſecratione, alijſq. rebus, quæ poſtremò additæ ſunt à Maphæo Vegio. Illud etiam commemorant, quòd vulgatum eſt: cautum, præceptumq. à Virgilio ſuprema voluntate fuiſſe, vt Aeneis cremaretur, tamquam inchoatum opus, minimèque perductum ad vmbilicum. id verò fieri vetitum eſſe velut interdicto Prætoris verſibus illis, quorum ipſum Octauium Auguſtum veteres Grammatici faciunt, & volunt auctorem.

Ergone ſupremis potuit vox improba verbis
Tam dirum mandare nefas? ergo ibit in ignes,
Magnaq. doctiloqui morietur Muſa Maronis?
Ah ſcelus indignum. ſoluetur littera diues?
Et poterunt ſpectare oculi, nec parcere honori
Flamma ſuo, dignumq. oculis ſeruare decorem?
Pulcher Apollo veta. Muſæ prohibete Latinæ.

Quærendum igitur eſt, quoniam hac de re vulgò ſic dubitatur, an aliquid deſideretur in opere, quod Virgilius vel ex incuria prætermiſerit, vel interceptus obitu perficere non potuerit.

Decer-

Decernunt aliqui facillimè, ac breuissimè respondent, in opere nihil desiderari: causamq., cur nece Turni terminatum sit, nec alia subiungi debuerint, quæ requiri posse videbantur, repetunt ab Homeri poëtarum principis exemplo; quem quia in ceteris expressérat partibus, in hoc etiam poëmatis fine sibi postremò imitandum etiam esse Virgilius existimauerit. Neque enim Ilias illa, cuius argumentum est Troianum bellum, incendio Troiæ, aut Ilij finitur euersione; sed Hectoris obitu, ac funere, præter omnem expectationem legentium sic terminatur, ex interpretatione Vallæ, quem supra secuti semper sumus.

Itur in antiquam siluam. sonat acta bipennis.
Ligna nouem referunt plaustris congesta diebus.
Tum pyra construitur decima. componitur Hector
Desuper exanimis gemitu, miseroq. tumultu.
Subijciunt flammas. abeunt, ac luce sequenti
Conueniunt, nigroq. ignes extinguere vino
Dardanidæ certant. lacrymis abeuntia fratres
Ossa legunt, vrna quæ concluduntur in aurea,
Purpureoq. tegunt, molli & velamine circum.
Tum super imponunt ingentia saxa sepulcro,
Et vigil Hectoreos cineres custodia seruat,
Ne quicquam auderent Danai, seu forte recenti
Effodiant tumulo funus, rursusq. reportent.
Tum Priamus populum iubet in sua tecta vocari,
Et statuit de more dapes. Hæc funera magni
Hectoris; hos illi genitor celebrauit honores.

Hìc, inquam, Iliadi finis imponitur; cum interea Pergama stent, Priamus incolumis, victoria pendens, & dubia sit, Græcorum facinus imperfectum. Et tamen totius operis summa, atq. absolutio videbatur esse Troianorum excidium: cuius causa Græcorum illa classis excensionem fecerat in Phrygiam, ac tam multos annos Heroes illi circa Pergama sederant. Hoc, inquam, exemplo credùnt hi, satis deterrere se posse accusatores: nec quemquam esse suspicantur, qui Homeri labefactare, aut conuellere audeat auctoritatem: sed errore decipiuntur haud mediocri. Non enim defuere qui Homeri etiam Iliadem eo nomine praecisam, imperfectamq. putarent, quòd Hectoris funere clauderetur; nec Troiæ subijceretur excidium, cuius gratia videbatur instituta. Itaq. extitit aliquando Triphiodorus Aegyptius Grammaticus, ac poëta, qui versibus Græcis auderet explere lacunam illam, & sic Iliadem perficere, quemadmodum apud Latinos conatus est Vegius Aeneida, diuinum opus absoluere. Idem credo spectauit Eumolpus Corinthius: qui, vt est apud Pindari Scholiast.

scripsit carmine reditum Græcorum in patriam. idem Camerinus ille, qui, vt tradit Eustathius, de bello Troiano cecinit, suum aggressus tamen opus ab Iliadis fine. idem Aemilius Macer; idem Q. Calaber, idem Leschis: qui bellum item Troianum, siue potius excidium ab Homero præteritum exequi, ac perficere voluerunt. Inuenienda igitur est aliqua ratio, quæ Virgilio aequè, ac Homero suffragari facilè possit, & tam Latinos, quàm Græcos Grammaticos, ipsis antiquiores Latinis, coërcere:

Respondent igitur alij, longè diuersam, longèque aliam historicis impositam esse legem, quàm poëtis. Illi enim ab ipso rerum gestarum incipiunt initio, continuantq. paulatim suo prorsus ordine narrationem, quoad demum finem ipsum attingant. Poëtis verò alia est incipiendi ratio, alia desinendi. Exordiuntur enim à medio, desinunt ante finem rerum gestarum, vt docere videtur Horat. in Arte.

Nec reditum Diomedis ab interitu Meleagri,
Nec gemino bellum Troianum orditur ab ouo.
Semper ad euentum festinat: & in medias res,
Non secus ac notas auditorem rapit, & quæ
Desperat tractata nitescere posse, relinquit.
Atque ita mentitur, sic veris falsa remiscet,
Primo ne medium, medio ne discrepet imum.

Hæc, inquam, alij respondent, quæ vt vere dicantur, causam tamen haud afferunt ipsam, cur poëtis fas sit finem historiæ prætermittere. Videmus enim omnes ita facere poëtas; exordiri nimirum à medio, desinere ante clausulam rei gestæ, quæ traditur ab historia. Sed nos cur ita ipsi iure, ac sine reprehensione facere queant, hac disputatione quærimus, & causam aliquam idoneam inuestigamus.

Respondent ergo tertio loco alij, non tam vniuersè poëtarum omnium, quàm nominatim ipsius Virgilij causam suscipientes, sed tamen ita, vt videantur etiam alijs patrocinari. Aiunt quippè non fuisse Virgilio consilium vltrà Turni mortem de Aenea quicquam præterea canere: quem tantummodò sibi proposuerat in Latium ducere, victoremq. ex bello periculosissimo facere, quod ipso poëmatis initio, hoc est in operis propositione confirmauerat.

---------- Troiae qui primus ab oris
Italiam fato profugus; Lauinaque venit
Littora. multum ille & terris iactatus, & alto
Vi superum sæuae memorem Iunonis ob iram.
Multa quoq. & bello passus, dum conderet vrbem,
Inferretq. Deos Latio. genus vnde Latinum,
Albaniq. patres, atque altæ moenia Romae.

Quamquam enim eo loco aliquid de Alba quoque dicitur, ac de Vrbe Ro-

be Roma, non tamen id poëta sibi canendum proponit, sed perstringit, & tamquam ex obliquo leuiter indicat ea, quæ sunt cum rerum propositarum argumento coniuncta. Similiter enim loqueretur aliquis, si confirmaret, velle se canere de Lydis, à quibus originem duxerunt Etrusci: aut de Amphitryone, qui pater Herculis fuit. Quemadmodum enim eius argumentum carminis, non Etruria, non Hercules esset, sed Lydi, & Amphitryo, sic Virgiliani operis argumentum proprium, non Albani, Romaniq. sunt, sed Aeneas, à quo Albani, Romàniq. duxerunt originem.

Hæc profectò, quæ sic isti disputant, tueri quoque possunt Homerum, atque ostendere, inanem fuisse Grammaticorum laborem, qui perficere conati sunt Iliadem iam perfectam. Non enim ille canendum susceperat Troianum excidium, sed belli Troiani partem, hoc est Achillis in bello Troiano diuina, & præclara facinora, vt facillimè constabit legenti principium.

Dic Dea pestiferam Pelidæ Principis iram,
Quæ dedit innumeros Danais inimica dolores, &c.

Cum ergo illa facinora in Hectoris obitu viderentur metam, ac finem inuenisse pulcherrimum, nihil addendum præterea fuit de Troianæ vrbis euersione, quæ consecuta necessariò est secundùm Hectoris interitum, cum vnus ille diceretur esse mora fatorum. Faciunt nimirum in huiusmodi fine sic imponendo Epici poëtæ aliquid simile Comicis: qui nuptias, & choros intra proscenium claudunt, spectatoresq. tum dimittunt, cum reliquæ actionis exitum, & absolutionem expectant. Ita differunt hi, & quidem sapientius, prudentiusq. quàm ceteri.

Sed tamen illam ipsam eos aperire causam oporteret, cur Epici, sic restrictè canenda proponant, sic finem ante finem imponant. Quid enim eos impellit, vt è tam multis illis rebus, quas habet historia, aliquam tantummodo sibi seponant, & separent partem?

Hanc ego causam exquirendam ab Aristotele puto; & ex ijs potissimum educendam, quæ de fabulæ præcepit vnitate in cap. vi. poëtices. Ait enim vnam esse fabulam, siue poëmatis constitutionem oportere; vnam autem non esse, nisi vnam tantummodò poëta seligat, & sequatur in toto poëmate actionem. Laudat adeo illo nomine magnificis sanè verbis Homerum, quòd Iliadem, atque Odysseam vnica tantum actione comprehenderit, è multis electa. Homerum, inquit, qui, vt in alijs, ita in hoc etiam excellit, siue id artis, siue naturæ fuerit, oculatissimum fuisse apparet. quandoquidem Odysseam confingens, non sanè cuncta, quæ Vlyssi acciderunt, in eam compulit, & coëgit. Et paulò post. Quippe qui ex vna dumtaxat actione, & tali, qualem nos dicimus, Odysseam, Iliademq. constituit. Non potuit igitur addi Tro-

di Troianum excidium, quin actio adderetur alia, quæ nouum poëma, nouamq. fabulam postularet. Quam verò sibi sepoſuerit Homerus actionem, diximus ſupra, cum docuimus, eum canere tantummodo eam belli Troiani partem, quæ res Achillis continet in illa expeditione præclaras.

Igitur, vt de Virgilio dicamus, cuius cauſa id contendimus; Aeneis optimè clauditur ea victoria, in qua totius rei propoſitæ, hoc eſt errantis Aeneæ, ac de nouo regno laborantis ſumma omnis, & poſtrema ratio continebatur. nec addi debuit vrbium fundatio nouarum, aut noui felicitas Regni, aut nominatim Albæ, Romæq. molitio, aut Aeneæ apotheoſis, & conſecratio: quia nouæ ſunt hæc actiones, & quæ noua præbeant argumentà poëmatum. Satis enim poëtæ fuit, eam Aeneæ conſecrationem ſic indicare.

Indigetem Aeneam ſcis ipſa, & ſcire fateris
Deberi caelo; fatiſq. ad ſydera tolli.

Nuptiæ verò, ac cetera, quæ tanti non ſunt, cogitationi legentium permittuntur, & ſic inducuntur è poëmate, quemadmodum ſubducitur à ſpectatorum oculis in Theatro quicquid reliquum videri poteſt, perfecto iam abſolutoq. negotio, quod tranſigitur in fabula.

LOCVS III.

DE VNITATE FABVLAE.

An tota huius conſtitutio poëmatis verè ſit vna, & vna actio.

Quia nos ſuperioris ſolutionem nodi poſuimus in eo, quòd Aeneidos vna eſſe debuerit actio, diligentius hoc extremo loco videtur inueſtigandum, an ea verè ſimplex, & vna ſit actio, quæ toto illo poëmate continetur.

Antequàm de quæſtione decernamus, videndum primo loco erit, quid cauſæ ſit, cur vnam tantummodo velit actionem eſſe, vnamq. fabulam totius Epici poëmatis Ariſtoteles. deinde quærendum, quid ſit, quod vnam faciat actionem, pluresue. ad extremum ea in Virgilio inueſtiganda erunt indicia, quæ vnam, aut multiplicem eſſe demonſtrent: vt pro eo, aut contra eum controuerſiam decidere vltimo loco poſſimus.

Quan-

Quantum attinet ad primum: cauſam hanc ſatis, ſuperq. nobis expoſuiſſe videtur Auerroes in paraphraſi; cum dixit, poëtam artificem quendam eſſe: artifices autem oportere naturam imitari; quæ vnum ſibi finem ſemper in agendo proponit, vt docet multis in locis Ariſt. Animaduertendum tamen eſt, nullum hìc eſſe ſermonem de fine poëtices vniuersè, quem dicere iam etiam vulgò coepimus eſſe, vel delectationem, vel vtilitatem, vel vtramq.; ſed de fine, quem nominatim, ſingulariterq. ſibi proponit vnuſquiſq. poëta. Hic enim nihil eſt aliud, niſi argumentum, & actio illa, quam exprimit imitando. In quam ſententiam Græci Peripatetici ſæpe dicunt, argumentum alicuius libri, ac finem auctoris, ſiue finem auctori propoſitum inter ſe non differre. Hunc autem finem vnum eſſe debere, quia vnum etiam, & ſolitarium ſibi proponit natura, de omnibus artificibus verè dicitur, ſed de poëta longè veriſſimè: cum & artifex quidam dicatur eſſe, & eius artificium in imitatione, hoc eſt in alicuius effictione ſimulacri poſitum ſit. Nulla enim imitatrix eſt ars, quæ, cum in ſuo verſatur artificio, plures ſibi proponat formas, ac ſimulacra. Inſpiciamus cælatores, ſcalptores, pictores, alios, ſi qui tamen præterea ſunt rerum imitatores. cum aliquid moliuntur, vnum profectò, non plura eodem tempore ſimulacra moliuntur. Quòd ſi plura videntur interdum effingere, vnum tamen effinxiſſe verè dicuntur conflatum è pluribus. Vnus enim verè eſt Hercules cum Hydra pugnans, aut cum Anteo, vnus Hannibal exercitum ducens per Alpes, aut milites alloquens; nec plures illæ, quæ circumfunduntur figuræ, vel propter ſocietatem, coniunctionemq. neceſſariam, vel in parergo, faciunt, vt plura opera pictoris, cælatoriſq. debeant appellari, cui propoſitus fuit Hercules, aut Hannibal potiſſimum, ac præcipuè ad imitandum. Itaque ratio hæc Auerrois videtur eſſe ea prorſus, quæ traditur ab Ariſt. in cap. illo vj. vbi agit de vnitate fabulæ. Sic enim præcipit. Oportet autem quemadmodum in aliis imitatricibus artibus vna imitatio vnius rei eſt, ita & fabulam, quia actionis imitatio eſt, vnius eſſe, & huius totius: & partes rerum conſtare ſic, vt aliqua tranſpoſita, vel adempta, diuerſum reddatur, aut moueatur totum. Cum igitur, Auerroes eius præceptionis cauſam petiuerit non ab artibus vniuersè, ſed nominatim, electèque ab imitatricibus, (ait enim artifices oportere imitari naturam; artifices nimirum imitatores) non diuerſam aliquam, & variam proponit rationem, ſed explicat eam, quam videt ab Ariſtotele propoſitam. Fruſtrà itaque nonnulli conantur euertere dictum hoc, & pronunciatum Auerrois: cum labefactari non poſſit, niſi Ariſtotelis ipſius infirmetur, & concutiatur auctoritas. Petitur enim, vt diximus, illa comparatio à pictoribus, qui vnam actionem vnius, velut Vlyſsem fingentem inſaniam, ſibi proponunt ad imi-

tandum

tandum in tabula: in qua non exprimunt eundem vulneratum in Parnasso, aut cœnantem apud Alcinoum, aut pugnantem Troiæ sub moenibus altis, nisi fortassis in parergo, quod respondet episodio poëtarū.

Alias quoque rationes subiungunt alii, quæ causam demonstrent, cur vnius tantum actionis imitatio esse poëma debeat, nec plures cōprehendere possit. rationes autem ducunt à fine totius artis, hoc est à delectatione. Contendunt ergo primum, delectationem afferri facilius à poëta posse vnius actionis expressæ beneficio, quàm multarum; cum id experimento comprobatum, & compertum sit, ampliori, maioriq. voluptate afficere audientium animos narrationem vnius rei vnam, quam multarum variam, atque multiplicem. Causam nobis huius delectationis exponit Aristot. in problem. sect. xviij. in hunc modum inquirens. Cur libentius eas historias audimus, quæ rem narrant vnam, quàm quæ plures? An quod rebus notioribus magis attendimus, easq. libentius audimus? notius autem est, quod est definitum, vnum verò finitum est, plura infinito participant. Aiunt secundo loco Aristot. in primo Rhetor. & in Ethicorum item primo, docuisse, capi delectationem, vel spe, quia bonum aliquod expectatur, vel sensu, quia præsens adest, vel memoria, quia præteritum est. Ex his, duo tantùm poëticae esse proposita tempora dicunt, quæ sequatur ad gignendam voluptatem; præsens, ac præteritum. At si tempus intueamur præsens., multò sanè facilius existet ab vna tantum, quæ auditur, actione, delectatio, quàm à pluribus: vna quippè facilius objicitur animo, teneturq., quàm plures. Si præteritum, haud dubiè memoria, quæ delectationem percipit ex eo, quod fabulam olim audiendo acceperit, vnam retinebit melius actionem, expressam à poëta, quàm plures.

Quod si dicas varietate duci hominum animos, oblectariq. magnopere: adeoq. plures actiones posse maiorem afferre voluptatem: respondent, hanc varietatem positam in episodijs esse: ac propterea voluptatis hoc incitamentum ne in ipsa quidem vnitate fabulæ desiderari. immo verò hinc ostendi, duplicem ex perfectis poëmatis existere voluptatem; vnam ab vnitate natam fabulæ, alteram ab episodiorum varietate. quæ quidem varietas non sic impedit, aut minuit delectationem, quemadmodum impedit varietas actionum. Sunt enim episodia eiusdem actionis veluti membra quædam, ac partes; actiones autem multiplices, & variæ omnino distractæ sunt, nec vnum corpus efficere, aut conflare per conuenientiam possunt.

Sequitur vt videamus quid sit demum illud, ex quo possimus intelligere, vna ne, an multiplex actio sit: vt postremo loco de Virgilio statuamus, vnam ne complexus sit actionem, an multas in vnum poëma coëgerit.

Aristot.

Aristot. in cap. vj. ait quidem actionem vnam vnius hominis esse debere: sed tamen adiungit, non propterea vnam dici, & esse, quòd vnius hominis sit: cum eiusdem hominis multæ sint actiones inter se variæ, ac discrepantes; atque ideo peccasse poëtas, qui scripserint Heracleida, vel Theseida, hoc est res vniuersas ab Hercule, vel Theseo gestas vnico poëmate colligarint. Fabula, inquit, est vna: non quemadmodum nonnulli arbitrabantur, si circa vnum fuerit, multa quippe minimè definita genere accidunt, ex quibus sanè quædam non constituunt vnum: similiq. ratione vnius multæ actiones sunt, ex quibus numquàm vna actio fiet. quapropter omnes hi peccasse videntur, qui vel Heracleida, vel Theseida, ceteraq. id genus poëmata confinxere. quippe qui cum vnus sit Hercules, vnam quoq. ipsius debere esse fabulam existimarint. Ita, inquam, disputat eo loco Aristoteles; aperitq. ac demonstrat vnitatis indicia, duo poëtarum genera reprehendens: vnum eorum, qui vnius multas actiones, alterum eorum, qui multorum, vel vnam, vel plures actiones imitarentur. Ex priori genere sunt Paniasis, Arrianus, Pisander apud Athenæum; qui Heracleida composuerunt: & Parthenius quidam, qui, vt testatur Stephanus, in eodem argumento sine gloria desudauit. His adnumerari fortasse debet è Latinis Charus ille, quem Heracleida scripsisse testari videtur Ouidius in libris de Ponto.

Et qui Iunonem læsisset in Hercule Charus.

Alij præterea multi vnius hominis, aut Semidei multas genere dissimiles actiones cecinerunt: vt Philostratus, qui Pelopidæ, Epaminondæ, Thesei vitas singulis descripsit poëmatis, quod Diogenes Laërtius memoriæ prodit: vt Paedo Albinouanus, Latinus poëta, qui Thesei vitam sui carminis argumentum esse voluit, quod docet Ouidius in Elegijs: Parthenius alter, qui fecit Archelaida, hoc est Archelai vitam Macedonum Regis prosequutus est versibus, quod affirmat Ephestion: duo Dionisij, hoc est Mitylenæus, qui Bacchi victorias omnes vno poëmate complexus est, quod scribit interpres Apollonij; & Afer, qui decantauit item Bacchi res gestas, ac vitam, quod est apud Eustathium in comment. ad eiusdem Dionisij Afri Cosmographiam: Nonnus Panopolitanus, qui Bacchi vitam metro contexuit, & legendam posteritati reliquit. Est hic ille idem, qui virginei Theologi, vt loquitur Suidas, Euangelium heroicis interpretatus est versibus. id quod stylus iudicio peritorum apertè demonstrat. Nec audiendi sunt Iacobus Mazonius, Giraldus, alijque, qui duos faciunt Nonnos Panopolitanos. His accedere debent ij, qui Persei vitam descripsere; quorum vnum commemorat Ouid. his verbis,

----------Trinacriusq. suæ Perseidos auctor:

Statius, qui ausus est Achilleida inchoare: quo in poëmate dicere meditaba-

ditabatur de Achillis actionibus singulis, vt ipsemet in operis propositione demonstrat.

-------- Quamquam acta viri multum inclyta cantu
Moeonio : sed plura vacant. nos ire per omnem,
(Sic amor est) Heroa velis, Scyroque latentem
Dulichia proferre tuba :

Et Gordianus pater, nobilis suæ memoriæ poëta, qui huius erroris haud fuit immunis. In suo enim quodam poëmate, quod inscripsit Antoniniada, Antonini Pij totam planè vitam exposuerat.

Hi sunt, inquam, poëtæ prioris generis, quos reprehendit Aristoteles propterea, quòd vnius hominis multas imitati sint actiones dissimiles genere.

Alios posterioris ordinis recensеamus : ac primò quidem eos, qui vnam multorum actionem expressere. Hoc nimirum in errore versantur Argonauticorum scriptores plurimi ; Orpheus, Epimenides, Gnosius, Apollonius, Varro Atacinus. Hunc enim postremum è Latinis Argonautica scripsisse declarat Ouidius in libris Amorum.

Varronem, primamq. ratem, quæ nescíet ætas,
Aureaq. Aesonio terga petita Duci?

Inter hos collocandus est Cherilus, qui bellum Xersis, Triphiodorus, qui bellum Marathonium, Cornelius Seuerus, qui bellum Sicilienſe, Archias, qui bellum Cymbricum, Boëtus, qui bellum inter Brutum Augustumq. tractarunt versibus. bellum quippe vna est actio, sed ducum multorum. quem scopulum vt vitaret Homerus belli Troiani eam partem excepit sibi, quæ fortitudinem contineret Achillis eximiam. Nec horum erratis carere voluit Statius cum Thebanum aggressus est bellum : nec Caninius Rufus, qui bellum Traiani contra Decebalum, nec Hostius, qui bellum Istriæ, nec ij demum omnes, qui bellum Troianum post Homerum canendum temerè susceperе. Hi, inquam, omnes eo nomine peccarunt, quòd multorum actionem vnam amplexi sunt. bellum enim integrum non vnius hominis est actio, sed multorum. Restant ij, qui multas multorum actiones canere non dubitarunt. Huiusmodi fuit Polycritus : qui, vt ab Aristotele didicimus in lib. de admirabilib. omnia, quæ ad Siciliam pertinerent compulit in vnum poëma : Rhianus Cretensis, qui Stephano, ac Pausania testibus, de Thessalicis rebus vno item poëmate dixit. Quibus cum haud dubiè recensendus est Ennius ; qui Romanorum res gestas narrauit omnes, Annalesq. conscripsit : recensendus Hostilius, recensendus Simulus, & Buta : qui singuli singula fecere poëmata de rebus Romanorum. Ac sequuti fortasse sunt Eugamenem nescio quem Cyrenæum, belli Thesprotiorum scriptorem ex Clem. Alexand. Strom. vj. & Hermesionactem, qui carminum vno volumine clausit

res,

res,& facinora omnia Colophoniorum. In hunc poëtarum ordinem redigere neceſſe eſt omnes, qui metamorphoſes compoſuere; quales ſunt Parthenius,Theodorus, Calliſthenes, ac ſecundum hos Ouidius, ſecundum Ouidium Neſtor Larandæus,qui Seuero Romanorum Principe floruit, vt docet Giral. in hiſt. Voluerunt aliqui in hanc etiam claſſem referre Silium Italicum, quòd veluti de ſui operis argumento ſic dixerit initio libri xiv.

Flectite nunc veſtros Heliconis numina cantus
Ortygiæ pelagus, Siculiq. ad littoris vrbes.
Muneris hic veſtri labor eſt, modo Daunia regna
Aeneadum, modò Sicanios accedere portus,
Aut Macedum luſtrare domos,& Achaica rura,
Aut vaga Sardoo veſtigia cingere fluctu,
Vel Tyriæ quondam regnata mapalia genti,
Extremumq. diem, & terrarum inuiſere metas.
Sic poſcit ſparſis Mauors agitatus in oris.

Sed iniuria prorſus his adnumeratur, omnia enim illa bella, quæ perſtringit, cum ſecundo bello Carthaginienſi, quod argumentum poëmatis eſt, ita coniunguntur, vt epiſodia tantum ſint, vnam coagmentantia fabulam,& operis conſtitutionem vnam. Neque enim variæ illæ terrarum oræ faciunt, vt variæ quoque ſint actiones,niſi multiplex etiam Odyſſea ſit,quæ toto mari circumfertur.

Cum ergo neque ex vno prorſus homine, neque ex vno multorum facinore ſpectare iure poſſimus vnitatem actionis, videndum extremo loco eſt,quid ſit, quod actionem vnam facere,ac conſtituere poëtis imitandam queat. Ariſtotelem conſulamus, qui reſpondet, eſſe vnum omnino finem agenti propoſitum, actionemq. definientem, ac terminantem, à quo vna verè dici debeat actio. Hoc nimirum ſibi vult in eodem cap. vj. cum de Homero magnificè pronuncians ita loquitur. Homerus autem, quemadmodum in ceteris antecellit rebus, ſic etiam hoc videtur pulcrè vidiſſe,ſiue propter artem, ſiue ob naturam excellentem. Odyſſeam enim componens, non complexus eſt omnia,quæ ipſi euenerunt Vlyſſi: cuiuſmodi eſt vulnus in Parnaſſo; aut inſaniæ illa ſimulatio in expeditione: ſed in vna verſatus eſt actione; qualem dicimus Odyſſeam:eodemq. pacto Iliadem. Ita,inquam, Ariſtoteles notam propriam nobis aperit actionis vnius à termino petitam,ac fine, agentis hominis opus veluti cancellis circumſcribente. Cur enim acceptum ab Vlyſſe vulnus in Parnaſſo,dum feras venatur, cur ab eodem inſania ſimulata, ne cogeretur in Phrygiam proficiſci cum ceteris,actiones ſunt, quæ neque inter ſe committi poſſunt,neq. cum errore illo diuturno coniungi,qui ſuppeditat argumẽtum iuſtum Odyſſeæ,niſi quia terminos habẽt ſuos,& limites,quibus ita definiuntur,

tur, vt è cancellis illis egredi non possint, & in fines aliarum actionum transilire? Hi autem limites, ac termini quid aliud sunt, nisi propositum hominis agentis certum, in re aliqua certa, definitaq. versantis?

Quibus ita constitutis, id etiam statuendum est: Aeneidis vnam actionem vnius hominis esse: quia vnius est Aeneæ, & vno terminatur, ac circumscribitur fine, qui est aduentus in Latium, vt dicitur initio poëmatis, vbi totius operis indicatur finis.

Italiam fato profugus, Lauinaque venit
Littora.

Scio contra pugnare Grammaticos, qui putant, Virgilium longè recessisse ab Homericæ fabulæ simplicitate; cum vnum conflauerit opus è duobus Homericis. Duos itaque dicunt esse actionum fines in Aeneide, qui conuenire inter se, aut concordare non possint. Iter enim illud maritimum, & errorem Aeneæ vnius actionis finem, & limitem volunt: qualis est in Odyssea. Bellum in Latio gestum alterum faciunt terminum, ac metam, quæ sic alteram definiat actionem, quemadmodum bello Troiano definitur, & concluditur Ilias. Itaq; non probant illud elogium incerti poëtæ, quo Virgilius eo nomine laudatur, quod vtrumq; argumentum Homeri coniunxerit, & callidè fecerit vnum, vt facilius exciperetur.

Mœonium quisquis Romanus nescit Homerum,
Me legat, & lectum credat vtrumque sibi.
Illius immensos miratur Græcia campos;
At minor est nobis, sed bene cultus ager.

Scio, inquam, multos ita contendere: sed frustrà sic pugnant. quia bellorum illa tractatio apud Virgilium illi similis est pugnae, quam ad extremum suscepit, gessitque cum procis Vlysses. Magnificentius quidem ea bella geruntur ab Aenea, quàm ab Vlysse committatur illa pugna cum procis: adeoq; si modum ipsum, & rationem intueamur, videri possunt Iliadis praelijs esse similiora: sed tamen si finis spectetur, comparari potius debent cum digladiatione illa postrema, quæ ponitur in Odysea. Quemadmodum ergo pugna cum procis non duplicat actionem, quia sumitur, & fit in eam gratiam, vt Vlysses aliquando restituatur in patriam, eamque cum tranquillitate rursus obtineat, qui finis est fabulæ; sic Aeneæ bella nouam excudere non possunt actionem, quia geruntur ideo, vt occupetur aliquando Latium, & cum animi securitate teneatur: qui terminus erat huius erroris, & totius itineris, laborisq. iam in altera poëmatis parte descripti. Idem de Iliade iudicium esto. Ex toto enim bello Troiano, vt alibi dictum est, partem vnam sibi sumpsit Homerus, ex qua potissimum cernerent homines, Græcorum illam victoriam in vnum Achillem esse totam omnino referendam. Quod si aliquid præterea canit, in hanc gratiam canit,

canit, nec in actionibus versatur, quæ suos limites, ac terminos habeant ab hoc fine discrepantes. Id quod Aristoteles disertè distinctèq. sic docuit in cap.xxij. paulò ante finem: Ob id etiam diuinus Homerus videri debet, quòd bellum alioqui principio, medio, ac fine constans scribere minimè est aggressus. Si quidem vel nimis magnum, euasurum, atq. adeo perceptu difficile existimauit: vel si ad iustam magnitudinem contraxisset, inculcatum nimia varietate futurum. Nunc verò eius dumtaxat parte suscepta, pluribus in ea episodijs vsus est, sicuti nauium catalogo, alijsque, quibus poëma locupletissimum reddidit. Ita eo loco Aristoteles. Ad eam ergo partem, quam canendam suscepit, atq. ad eum finem, collimant omnia, quæ tractantur in opere, quantumuis inter se diuersa, ac varia. Nam siue læsus ab Agamemnone pugnam detrectat Achilles, siue iratus ob mortem Patrocli debacchatur in hostium acie, id vnum agitur, vt victoria vnius Achillis virtute parta esse demonstretur. Græci quippe, Achille minimè pugnante, succumbunt, eriguntur illicò cum arma repetit, & pugnam integrat Achilles. vt rectè scriptum à Philostrato sit in Heroicis propè finem hoc modo. Vni Achilli tribuit Homerus opera præstantiora, atq. ideo pugnantem eum sic facit, vt ceterorum oblitus esse videatur.

Itaq. vt ad Aeneam reuertamur; siue tempestatibus impellatur, & erret in mari, siue ad Didonem diuertat hospitio, siue ludos celebret ad tumulum patris, siue penetret ad Inferos, siue pugnet in Italia; semper errat, semper diuertitur, semper egreditur è via, semper arma tractat, & pugnat in eam gratiam, vt Latium aliquando tandem, & nouum regnum ab oraculis, Dijsq. promissum adipiscatur. Non enim Aeneas tantummodò canitur nudus, ac simplex à Virgilio, sed Aeneas cum adiuncto & epitheto aliquo, hoc est Aeneas errans, aut laborans ad parandam Italiam. Quare tum desinere, terminariq. actio, & fabula debuit, cum Aeneæ iam absoluti labores, & errores erant. Erant autem absoluti tum, cum occisus est Turnus. Ex quo iterum intelligi possit, Aeneam regnantem à Virgilio cani non debuisse, quia noua fuisset actio, hoc est, aliud quoddam noui poëmatis argumentum.

Hæ sunt vindiciæ, quas secundum libertatem Virgilio damus: præcisas illas quidem, atq. imperfectas; sed eas, quæ possint alijs aperire viam ad ampliores. Et quoniam sæpe commemoratæ sunt disputationes illæ meæ tres de Virgilij Allegoria, quas in primum retuli volumen orationum, placuit hic ad extremum easdem subiungere: vt quicquid præsidij petendum ab ijs esset ad patrocinium causæ, facilius hoc loco repræsentetur.

O DE

DE VIRGILII ALLEGORIA VNIVERSE.

ORATIO I.

QVANDO Rhetoricæ patrocinium ſuſcipere non poſſum, quin aliqui ſibi ipſis bellum inferri putent; ego, qui numquam turbas amauerim, argumentum hoc anno tractare inſtitui ſuſpicioſis iſtis dicendi magiſtris minime litigioſum, gratiſsimum, niſi fallor, vniuerſis. Cum enim animo penderem, neque prouidere ſatis, aut ſtatuere poſſem, quam demum ingrederer viam, vt non ſolum re ipſa dicerem innocenter, ſed etiam innocens haberer à vobis, Religioſiſsimi P. P. ornatiſſimi Auditores, mihi commodum legenti occurrit Donatus, ille litterator inſignis, Hieronymo potisſimum diſcipulo, tam diſerto, ſanctoq. viro, nobilitatus. qui, vt multa de Virgilio ſplendidè, magnificèq. prædicaret, id ex adyto quodam penetrali mihi pronunciare videbatur: tantum hunc, talemq. poëtam eſſe, vt par ſit diuinum eius poëma non à Grammaticis, ſed ab oratoribus ipſis explanari. Placuit hominis dictum, & Grammaticos, quaſi verbo Prætoris, à veteri poſſeſsione deturbari mirifice gauiſus ſum. Recordabar enim, ab Auguſtino, auguſtiſſimo illo Chriſtianæ Reipublicæ Principe, diuinarum cauſarum oratore clariſsimo, Virgilium non eloquentem modo, ſed auctorem, & parentem eloquentiæ nominatum. Legeram in Hieronymo, tum poëtam ingenioſum eſſe, tum elegantiſsimum oratorem. Sciebam, appellatum à Quintiliano ſummum in eloquentia virum, diſertiſsimum à Seneca, oratorum omnium à Macrobio validiſsimum; ab ipſo etiam Abulenſe, ſi tamen huius auctoritas aliquid ad rem pertinet, habitum eſſe totius eloquentiæ ornamentum, ac decus. Quid multa? Inueni apud eundem Macrobium auctores minimè pœnitendos, qui eloquẽtia, dicendiq. artificio Ciceroni Virgilium anteponant. quam iuſtis de cauſis non dico, ſed anteponunt tamen. faciunt enim eloquentiam, quadripartitam: copioſam, in qua Cicero licenter excurrat; breuem, in qua Saluſtius regnet; ſiccam, quæ Frontoni, cum viueret, adſcriberetur; pinguem, ac floridã, in qua iunior Plinius, ac Symmachus molliter,

liter,& delicatè luxurient. In tanto,ac tam vario ſcriptorum numero vnum extitiſſe Virgilium aiunt, qui eloquentiam ex omni genere dicendi conflauerit,qui grauia cum acutis,acuta cum grauibus,inflexa cum vtriſq. componens, admirabilem in oratione concordiam fecerit.Hunc vnum oratione multiplici, numeris diſſimiliter emodulatis exprimere potuiſſe illum cæleſtium orbium concentum à Pythagora olim excogitatum; & imitari dicendo infinitam prope varietatem aſpectabilis Vniuerſitatis: vbi terra hæc mortalium altrix, in media mundi parte collocata, qua læta ſegetibus eſt, qua dumetis, ac rupibus hiſpida,qua ſalebris,atq. arenis arida,qua proximis fontibus vliginoſa; qua ſiluis obducitur, qua circumiectis clauditur montibus, qua vaſto, patentique aperitur mari.In Cicerone vnum eſſe tenorem perpetuum,atq. conſtantem,affluentem,rapidum,torrentem, volubilem,copioſum.

Delector equidem hoc elogio;ſed permoleſtè fero,communem cum Virgilio,Ciceroni gloriam eripi.Errant enim iſti, quòd vnum Virgilium,ipſo quoque ab hac laude Cicerone depulſo, plura ſimul dicendi genera temperaſſe putent: quod putant admirabili modo temperaſſe, profectò non errāt.Quid eſt obſecro,cur etiam Cicero non ſit breuis, & parcus in loco?quia non eſt,vt oratores illi,quos admirantur, fœde mutilus,ac turpiter abruptus? Cur non ſit gracilis,ac preſſus vbi res, & cauſa id poſtulare videatur?quia non eſt, vt eorū quidam exſuccus, nòn aridus,non exſanguis,nō ieiunus,ac pene fame conſumptus? Cur non varius, cur non pictus, ac floridus in rebus pro dignitate comendis? quia non duras, & è longinquo petitas metaphoras omnibus interſerit locis,quas iunior ille Plinius, ac Symmachus,quas hac etiam tempeſtate noui Logodædali fabricarunt? ſed innocentiam argumenti mei horum ego reprehenſione non violabo: quin etiam habeo gratiam arbitris iſtis, non quòd à Cicerone tantam gloriam abiudicarint,ſed quòd honorifico iudicio Donato ſubſcripſerint,ac veluti ſanctiſſima lege decreuerint, ſummi oratoris eſſe, Virgilium interpretari,non litteratoris,& Gręculi. Neq. vero id ea gratia dico,quòd diuinum poëtam ſatis eo præconio laudatum exiſtimem. Excelſiora quædam,ac maiora de Virgilio ſentio, quàm vt ea iſtorum cōmendatione circumſcribi queant.Rem dicam alicui fortaſſe nouam:vocem proferam confidentem,atque audacem,ſed tamen veram.Quid enim? non Grammaticos ſolum ab aliena poſſeſſione velut ex iure manu conſertos voco, ſed Rhetores etiam ipſos tam opulentā hæreditatem adire veto ex interdicto.Confirmo,inquam,conſtantiſſimè,neque Grammatici,neq. oratoris eſſe Virgilium explanare interpretando,ſed doctiorum hominum, atq. vt verbo dicam vno,Philoſophorum. Riſum hoc loco fortaſſe tollent noui philoſophi, quorum eſt ſuperba,& faſtidioſa

fortuna. fundum ſuum fieri poëtas nolent,& patrimonium iſtud facilè permittent occupanti. Permittant,vt libet: permittant autẽ non nobis mediocriter doctis,ac ſemilatinis,ſed ſummis viris,antiquiſſimis philoſophis,.inprimiſq. Ariſtoteli, cuius longo tempore lecti ſunt de locis Homeri perplexis,atq. ambiguis,libri ſex: permittant Anaxagoræ Clazomenio, qui ſaluberrimã philoſophiã in Homero velut in ſapientiæ breuiario relegebat. permittant Archeſilao mediæ Academiæ auctori clariſsimo ; qui numquam in cubile ſe ſe recipere ſolitus erát , niſi ante aliquid ex Homero ſomni conciliandi cauſa tamquã è philoſophiæ narthecio delibaſſet. quin etiã diluculo,ac bene mane, vbi primũ è grabato ſurrexiſſet,Homerum iterum lecturus, ad amaſium ſuũ itare ſe dictitabat;vt remotis arbitris cum eo familiariter, ac libere philoſopharetur. Permittant Platonico Proclo;qui totũ Homerum locis è media philoſophia petitis illuſtrauit. Permittant ipſi omniũ magiſtro Platoni;cuius illa vox eſt,in eo libro,quem de ſummo bono ſcriptum reliquit: in Homero contineri diuinam omnem,humanamq. philoſophiam. Nihil attinet omnes ducta ſerie percenſere: ſed permittant Zenoni,Chryſippo,Heraclito ; permittant quod grauius eſt,Chriſtianis philoſophis,doctiſsimis,atq. ſanctiſsimis,Cyrillo,Fulgentio, Baſilio magno,ceteriſq. ſapientibus viris,& multis,& nobiliſsimis;qui omnes epicũ Homeri poẽma ſplendidum philoſophiæ ludum , ac virtutis officinam ampliſsimam exiſtimarunt. Sentio, vos expectare dum aperiam aliquando ſapientiam hanc in ipſo Virgilio deliteſcentem : ſed non nihil in ea philoſophorum natione commemoranda immorandum fuit; vt intelligant iſti,qui poẽmatũm opes aſpernantur, eſſe populum Romanum qui adeat repudiatam ab ipſis Attali hæreditatem .

Equidem neq. tanti ſum, neq. ita me ipſum ignoro, vt non videam quàm arduum ſit huiuſmodi philoſophiam ex abditis poëticæ latebris explicare : ſed illud præterea ſcio ; non modo rerum magnarum, atq. præſtantium perfectionem probari,ſed conatum etiã in ijſdem,atq. aggreſsionem eſſe laudabilem. Huic adeo ſpiſſi, operoſiq. operis magnitudini , atq. aſperitati ita facilè occurrere poſſe me video,ſi nõ omnia hodierna die vna concione ſimul effundam,ſed multa mihi per partes alio tempore tractanda reſeruabo. Cũ enim ſint neq. pauci,neq. imperiti, qui nullam in epica poëſi philoſophiam abditam eſſe pugnaciſsime contendant , ſic partiri neceſſe habeo rationes meas,vt quæram initio , ſit ne aliqua , & in poëtarum fabulis vniuersè , & in Virgilio nominatim penitus abſtruſa ſapientia . Deinde , ſi qua ſit ; quænam ex triplici genere philoſophiæ pars eſſe videatur : ad extremum , ſi certa ſapientiæ forma in epico illo continetur opere , certa ne ratione , ac via euolui , atque inueſtigari queat. Sed quia tam multa , tamque difficilia in vnam hanc orationem compelli

non

non posſunt, ceteris in aliud tempus, otiumque ſepoſitis, illud vnum habeo dicere, ac ſeorſum hodie diſputare, aliquam eſse petitam ab intima philoſophia ſcientiam rerum vtilium, quam in Epica poëtarum omnium, atque adeo in ipſius Virgilij fabula contineri neceſse ſit.

Vide, dixerit aliquis etiam, atque etiam quàm graues quàm magnos in te aduerſarios excitaturus ſis; non ex ijs modo ſcitis, acutiſq. ſcriptoribus, qui vel noſtra, vel non ita ſuperiori memoria huiuſmodi tectiores poëtarum ſententias, quas allegorias vocamus, quaſi deliramenta Sophiſtarum irrident; verum etiam ex antiquiſſimis illis, qui Heroicis pene temporibus in altrice diſciplinarum omnium Græcia floruerunt. Nam apud Euſtathium Ariſtarchus; is, qui commentarios ſupra mille poſteritati reliquit, & tam graui ſemper habitus eſt in rebus diſcernendis, diſtinguendiſque iudicio, nullus vt putaretur Homeri verſus eſse germanus, & verus, quem ſuo ille calculo non probaſset: is inquam talis, ac tantus Homericae cauſæ quæſitor, ac iudex omnes omninò ab Homero allegorias ablegauit, negauitque diſertè, aliud ab eo dici, aliud intelligi oportere. Placet hos, longeque plures aduerſarios eſse, quibuſcum iure concertandum, ac dimicandum ſit. Neque enim eos imitari neceſse habeo, qui, vt aliquod ad contentiosè dicendum argumentum inueniant, quem in foro non vident aduerſarium, in re minimè controuerſa ſibi deſignant animo, & cum vmbra, ventiſque fortiſſimè digladiantur. placet inquam veriſſimum mihi bellum eſse cum iſtis, ac potiſſimum cum Ariſtarcho, cuius arbitrium ipſæ pene literæ reformidabant: Habet ſane, habet vnus hic Grammaticus Alexandrinus infinitam propè Grammaticorum turbam contra pugnantem, habet Philoſophos multo grauiſſimos, habet auctores omni doctrinæ genere præſtantes, ac nobiles, qui ſanctè confirment, Homerum hauſtam ab Aegyptijs philoſophiam, vt auguſtior eſſet, atque admirabilior, excogitatis fabulis, quibuſdam veluti notis arcanis, quæ Hieroglyphica vocantur, adumbraſſe. Quod Homeri, ceterorumq. comminiſcendæ fabulæ conſilium, ſapienter, ac doctè Palephatus explicauit, affirmans, pleraſque mortalium verè certèq. res geſtas, veteratoriè poëtas fabularum fuco, & commentis incredibilibus inuertiſſe; vt legentium animos, & admiratione tenerent, & voluptate perfunderent. Veriſſima ſanè vox, & quæ inſitum poëtis ab artificio morem, non tam dicendo aperiat, quàm ob oculos ponere videatur exprimendo. Intelligit enim vir eruditiſsimus, ſuis ipſorum præceptis admonitos poëtas illud omnino agere, ac ſequi, vt in mortalium animis excitent eam, quæ delectationem, ac voluptatem pariat, admirationem. quod quia rerum compoſitarum, fictarumq. beneficio facilius, quàm verè geſtarum conſequi

se posse confidunt, res veras, atque adeo saluberrimas vitæ leges, non præceptione tradunt, sed fabulis, & commentis inuoluunt. Quid autem est rei veritatem, ac morum doctrinam fabularum inuolucris obducere, nisi eas persequi, quas isti è poëtarum scriptis expungunt allegorias?

Rectè sanè interpres Hesiodi Zezes initio Theogoniae quatuor esse confirmat omninò res, quibus Epicorum poëtarum omne nomen, ac vis contineatur: heroicum versum, allegoricam fabulam, historiam perantiquam, aptam, accommodatamq. materiæ dictionem: sed in his principem obtinere locum allegoriam, eamq. proprium esse poëtæ characterem, ac notam. Quid planius, quid sapientius dici potuit; quid accommodatius ad istorum iugulandam audaciam, qui spiritum ipsum, ac vitam poëtarum extinguunt? Si enim proprius eorum character, ac nota, & est, & verè dicitur allegoria, quotus quisq. non videt, hanc vnam esse partem, cuius beneficio, ac vi poëtica consistat, moueatur, & viuat? Haud certè sine summo consilio nuper clarissimus Italici nominis poëta, Epopeiam velut animantem absolutam, atque perfectam esse aiebat, cuius corpus ipsa rerum imitatio sit, animus allegoria. Nam quemadmodum animo corpus obtemperat, seruitq. rationi, sic imitatio, quasi rerum corporatarum sensibus obiecta figura, vtilitati obsequitur, ac tamquam in animantis corpore animus, sic ipsa in toto poëmate continetur, & funditur. Nullus hæc, mea quidē sententia, neq. melius vidit, neque prudentius docuit, quàm philosophus inter Platonicos honoratus, ac nobilis Proclus: qui Stesichorum, doctum illum alioqui hominem, ac perspicacem, caecum tamen, ac nihil videntem appellauit, quòd Helenæ raptæ, belloq. repetitæ fabulam, veluti rem præteritis gestam temporibus, ac veram historiam, canere non dubitasset: neque intellexisset eo figmento significari, nostras ipsorum animas post decem annorum millia, quæ illa decenni Troianorum obsidione comprehendūtur, vbi diu multumq. circa terram varia nascētium, intereuntiumq. rerum vicissitudine fluctuarint, eorum instar Græcorum, qui Troia summo diuturnoq. labore deuicta, domos remigrarunt suas, esse tandem aliquando ad eum locum, vnde sunt hausta, ac delibatæ quasi lōgo postliminio reuersuras. Quod si tantus philosophus eum, & cæcutientem, & orbum oculis iudicat, qui nobilem Helenæ fabulam, hoc est narrationem ceteroqui credibilem, neque vehementer abhorrentem à vero euoluere; atque interpretari allegoricè non potuerit; quid nos de alijs fabulis existimabimus, quæ non incredibilia modo, sed etiam execranda impudicitiæ, impietatisque portenta comminiscuntur? Homerum ne, alioq. primi ordinis poëtas, qui ea finxerunt, illicò damnabimus inauditos, dicemusq. homines acutos, ac lynceos non vidisse, quod postea pronuntiatum est à

sapien-

ſapientibus, cum plane, diſertèq. dixerunt, poëtas ita oportere fingendo prudentes,& callidos eſſe,vt niſi credibilia,veroque ſimilia fingant,è poëtarum choro depellendi ſint ? Dixerint hæc audaculi quidam Ariſtarchi,quorum videtur,& quæri, & ali gloria reprehenſione bonorum: quorum eſt moderatum integrumq. iudicium, ij non modo ſummos auctores non reprehendent, verum etiam pro ipſis acerrime, conſtantiſſimeq. pugnabunt.Sed fieri quì poteſt,vt huiuſmodi prouinciam ita ſuſceptam ſuſtineant,niſi receptum habeant,confugiantq. ad allegorias ? In ſpeciem ſane quæ dicuntur à poëtis incredibilia ſunt, indecora, atque ab ipſa ratione prorſus aliena:ne ficta ſine ratione dicamus,haud dubie confirmabimus, ea quædam eſſe veritatis integumenta,quæ imperitorum oculos fallant, ſapientium iudicium fallere, ac doctrinam decipere nullo modo poſſint. Sapienter enim ab Euſtathio dictum eſt,fabularũ turpitudinem eſſe quoddam poëticæ vulnus, quod allegoria quaſi delibutis medicorum faſciolis obligatur. Quin placet etiam hoc loco Proclum illum philoſophum,Homeri tutelam, aduerſus magiſtrum ipſum Platonem & ſuſcipientem,& pro dignitate tractantem,audire.Sed altius repetenda res eſt, vt omnis ſuſcepti patrocinij cauſa facilius intelligatur.Mẽſam Homerus in cælo, & epulis exquiſitiſſimis,& conuiuis longè lectiſſimis ornat. adeſt Iuppiter, non Deorum modo, ſed etiam conuiuij Rex.aſſidet iuxta Iuno, prope Iunonem Venus: ceteri Dij, Deæq. toto triclinio circumfunduntur.Res agebatur,& iucundè quidem,& grauiter, vt decebat in cælo : ſed tamen, cum Iuno,vt eſt feminarum genus ſuſpicioſum, & maximè querulum, intempeſtiua quadam expoſtulatione Ioui ſtomachum repente mouiſſet, epulas diuinas amariſſimo reſperſerat felle, accumbentium hilaritatem in ſummam triſtitiam, mœroremque conuerterat; menſam illam fecerat è Deorum conuiuio ſilicernium funeſtorum, cum ecce tibi Vulcanus, ſellularius, & deſpicatiſsimus Deus, qui ea die poculi magiſter à Ioue creatus fuerat,enormi illo, diſtortoq. crure tanta cum turpitudine claudicare cœpit,hàc illac impigre, velociterq. nectar adminiſtraturus excurrens, vt ſtatim excitato cachinno quodam inſolenti, atque, vt loquitur Homerus, inextinguibili, haud minus in cælo riſerint Dij, quàm ridere ſoleat infimæ ſortis populus in togata,vbi ſcurram, & ſannionem iocantem videt,aut egregie partes agentem ſuas Gnathonem aliquem è paraſitis.Hęc igitur incuſat, reprehenditq; grauiſsimè Plato,ſummus, & intelligendi auctor,& dicẽdi magiſter; quòd intemperatiſsimus ille riſus, qui ne homines quidem mediocriter prudẽtes deceret,multo maxime alienus eſſe videatur à Dijs.Quam Proclus criminationem ita depellit, ac diluit, vt dicat,Vulcano illo molitore,ac fabro, vniuerſitatis molitionem, mundiq. totius,quã Dij ſuſcipiunt, adminiſtrãdi curam ſignificari.ſummo

propterea consilio,ac ratione Vulcanum irridentes induci Deos,quia mundum hunc, resq. mortalium affabre factas cum risu,hoc est cum voluptate contemplantur, & temperant Dij. O poëtas verè sapientes,ac doctos,ò fabulas minimè fabulas,sed admirabilia pulcherrimę, verissimæq. sapientiæ documenta. Haud scio,an hæc à sacris religionis nostræ voluminibus hauserit Proclus; in quibus quotidie legimus,opificem Dei Sapientiam, & in orbis terrarum molitione lusisse, & suas habere delicias positas inter mortales. Eusebius certè Pamphili testatum reliquit, pleraq. Platonicos ex Hebræorum monumentis,quæ studiosè perlegerant,in suam ipsorum sententiam pertraxisse.

Possem hic equidem infinita propemodum poëtarum commenta, quæ de industria videntur ad corrumpendos mores excogitata, eadem plane ratione, & quidem ex auctoritate maiorum,interpretari: sed cum modestiæ meæ,tum tempori consulendum est, cuius certis, ijsq. non ita latis finibus sentio circumscribi orationem meam. Vnum aduersarij suo credo iure à me requirunt,quòd ijs debere diutius nolim. Si enim, dicent isti, eum in Epopoeia locum occupauit allegoria,vt tam pulcri corporis animus, ac vita putanda sit,mirum sanè videri debet,cur eam Aristoteles toto illo libro,quem de poëtica scripsit, in aliqua saltem Epopoeiæ parte non collocarit. Quibus ego primum sic habeo respondere breuiter,& sine fallacijs, eum Aristotelis libellum inchoatum,& curtum esse, neq. hominis docti absolutum opus haberi, sed apparatum quendam, atque adumbratam leuiter operis faciendi descriptionem: vnde consequens esse possit,allegoriam non tam à ceteris depulsam fuisse partibus, quàm cum alijs præterea multis in opere minus absoluto desiderari. Quia tamen hoc ad euadendum periculũ alicui videbitur ex industria,& calliditate quæsitum effugium,confirmo disertissimè, partem hanc, neq. casu ab Aristotele prætermissam, neque voluntate reiectam esse, sed in loco planè positam, traditamq. cum ceteris explicatè. Vnum demonstrabo, quod nullus ad hoc vsque tempus interpretum vidit; mirorq. perspicaces alioqui viros in sole meridiano clarissimam Epopoeiæ partem videre non potuisse. Neque tamen idcircò mihi Statuam in Curia postulo, quod faciunt noui literatores, vbi scripturam, aut etiam in ipsa scriptura correxerint apicem, ac literulam mendosiorem; quasi Tygranem bello ceperint, aut Romanam Remp. diuturna tyrannide liberarint. Non ea confidentia sum, vt ab Apelle pingi, aut à Pyrgotele sculpi me velim, quòd in Aristotele viderim vnum,interpretum incuria præteritum,fortasis etiam voluntate neglectum. Sed tamen audeo vel solus, vel cum pauciss imis dicere, Aristotelem planissimè de allegoria disputare: disputare autem eo loco,vbi de fabula, deq. multis apud Homerum incredibilibus episodijs ita loquitur. Etenim fabulæ

bulæ iam inde ab antiquissimis constitutæ temporibus, vulgoq. probatae, etiam si aliquid rationi minimè consentaneum continere videntur, immutandæ non sunt: nam illa ipsa, quæ de Vlysse in portum exposito dicuntur ab Homero, absurda sunt, adeóq. ferenda non essent, nisi ea poëtarum optimus ita finxisset, vt alio bonorũ genere id, quod incredibile videtur obliteret, & quicquid absurdum est, quibusdam, quasi medicamentis aspergat. Hæc Aristoteles: quo loco paulum hærere necesse habeo, ac primi Philosophi verba breuiter, & cursim interpretari. Fabulas antiquas quamuis incredibiles, & cum ratione pugnantes, neque mutandas, neq. improbandas esse confirmat: ex eo genere Vlyssem videri apud Homerum ab Alcinoo Rege digressum, & in Ithacæ littus eiectum. quem præter fidem, & rationem tota via, difficili, ac bene longa dormientem in naui facit, appulsum in terram illo eodem somno penitus occupatum; relictum à Phæacensibus etiam grauissimè sopitum, ac somniantem. denique in Nympharum pulcherrimam speluncam introducit, quæ in Ithacæ portu, quemadmodum Cronius ait, nulla erat. Sed tamen hæc somnia fidei, rationique contraria, illigatis, inuolutisq. in ea fabula bonis deleri ait, & suppositis quasi medicamentis tanta illa vanitate liberari. Quæ nam verò ea bona esse putemus, quæ vanitatem ab illo figmento depellere possint, nisi pulcherrima eius fabulae documenta, quorum accessione mẽdacium sic euanescit, quemadmodũ inductis coloribus obliteratur linea, quæ tabulam occupabat? Quid ea medicamenta significant, nisi vtiles vitæ præceptiones, quæ splendido illo mendacio conteguntur? Vt enim ipsius medicamenti amaritudinem, atque asperitatem suauissimo aliquo liquore medicatis poculi labris occulimus, ita salutaria vitæ documenta iucundo fabularum commento tegere soliti sumus, vt degustata mendacij dulcedine, quicquid amarum est, facilius hauriatur. Esset operæ pretium quid Vlysses ille tamdiu sopitus, ac dormiens, quid Phæacensium incuria, quid Musarum antrum, quid res ceteræ abhorrentes à fide sibi velint, ex Cronio, ex Numenio, & Eustathio dicere. Sed quoniam hæc vacuum omnino postulant tempus, & mea iam ad exitum inclinat oratio, longissimam allegoriæ interpretationem facilè prætermitto, modò maneat id, quod præcipue contendebam; eum Homeri locum absurdum prima sui specie, longeq. à ratione remotũ, rationi consentaneum fieri beneficio philosophiæ, quæ fabulis illis incredibilibus illigatur. Sequitur, vt quæ vniuersè de poëtarũ allegoria diximus, ea de Virgilio, cuius causa hęc est à me institu. ta disputatio, confirmentur. Neq. enim eos imitamur, qui tam solutè, atq. oscitanter hũc poëtam legunt, vt nihil in eo videant aliud, nisi Aeneæ Troiani hominis in Italiam aduentum, & Homeri diligentem, accuratamque imitationem. quamquam isti ipsi, qui hoc vnum egisse

Virgi-

Virgilium dicunt,vt Homerum imitaretur, magnum aliquid dicunt, si etiam illud secutum intelligunt, vt ad Homeri similitudinem manu directa, pulcherrimas allegorias, quod est in Homero præcipuum, adumbraret. Nam quid est, cur tantum, ac sapientem virum inertes secutum pictores existimemus? qui aperta quædam, atque illuminata solum in alienis artificijs imitantur, abdita, obscura, recedentia longe,atque retrusa,in quibus artis est plurimum,non imitantur. An vir omni disciplinarum genere cultissimus, summo, singulariq. iudicio præditus Homerici operis quasi corpus diligentissime vidit, animum,quo mouetur,ac regitur corpus ipsum,in sui poëmatis molitione non vidit? longe de illo aliter,& loquuntur, & sentiunt nobilissimi, doctissimique scriptores antiquitatis. Video enim à Macrobio dictum, eum oportere acutissima oculorum acie præditum, atque instructum esse,qui ad absolutam penitusq. abditam in Virgilio sapientiam possit aliquando penetrare. Video scriptũ ab Honorato Seruio, Virgiliũ è scientia philosophorũ intima canere. Didici à Hieronymo, inter philosophos,ab Augustino inter doctos habendum,à pleriſq. veterum inter liberaliũ artium scientissimos viros adnumerãdum esse. Sed nemo de Virgilio iudicasse videtur honorificẽtius,quàm Gordianus.Hunc enim,non maiestate tantum,ac ditione,sed vita, doctrinaq. venerandũ plane Imperatorem tradit Capitolinus ita veterum lectione philosophorum fuisse delectatũ,vt Platonem,Aristotelem, Virgiliũ numquã sibi è manibus elabi pateretur;quasi vellet ea scriptorum societate significare, nihil à Platone, nihil ab Aristot. tradi simpliciter, quod à Virgilio versibus,& numero nõ caneretur. Sed vnde cognitum habẽt hi,Virgilium ita scientem fuisse philosophiæ,nisi ex abditissimis illis,obscurissimisq. sententijs,quas aspectabilium,notarumq. rerum imitatione à legentiũ oculis ingeniosus poëta porrò subduxit? Quorsum ea philosophia ita cõmendaretur à doctis,nisi ab ipsis,in eo,quòd vulgò legitur opere,pene oculis cerneretur? Quorsum tã vario disciplinarum genere Virgilius diceretur instructus,nisi variam illam doctrinã,ac scientiam plane multiplicem versibus suis clam,& quasi dissimulãter illigasset? Nae ille, quem paulò ante laudaui, studiosissimus poëtæ patronus,propugnatorq. Macrobius,egregiè,ac præter ceteros hęc docuit excellenter,cum de Virgilio confirmauit,amplissimam eũ, iucundissimamq. philosophiam suo ipsius operi laudabiliter aspersisse. Quid enim est operi philosophiam aspergere, nisi varia philosophiæ documenta fictis in opere fabulis occultare? Nemo profecto,neq. philosophus,neq. aliarum liberalium artium scientia eruditus,hunc vnum poëtam legerit, quin in eo fusa, atque aspersa suæ doctrinæ præcepta recognoscat. Ceterum intelligo, me nihil agere, nisi vos,quod in Homeri causa iam feci,velut in rem præsentem ducam; ostendamq. aliquid

quid etiam in Virgilio esse, quod ab incredibili, atq. ab indecoro sine allegoria vindicari nõ possit. Ne multa. Macrobius factus ex procuratore præuaricator, Homerum summè cõmendat, quòd in nulla sui operis parte trium illarũ Dearum de pulcritudine certantium, iudicijq. Paridis mentionem aliquãdo fecerit: contraq. Virgiliũ grauiter accusat, quòd ab ira Iunonis impotenti, atq. implacabili ausus sit poëma tã amplum, atq. magnificum exordiri. Scio equidem, hoc loco Scaligerum virgulam illam censoriam suam in Macrobium intendisse, admirabundũ, quòd tantus vir, tam insigniter eruditus non videret in Iliadis fine fabulã hanc aliquot versibus ab Homero perstringi: sed in auctorem regerenda virgula est, quòd non legerit apud Plutarchum, eos versus non Homeri proprios, sed spurios, atq. suppositos à veteribus habitos esse. Vtcumq. controuersia sit; reprehensum à Macrobio Virgiliũ video, quòd fabulam incredibilem, & decoro minimè seruientem cõmemorarit. Neq. enim simile vero videatur, aut deceat, leuissimis de causis altercari Deas, & ad litem dirimendam, componendamue, mortalium, atq. adeo pastorum subire iudiciũ velle. Iure ne dicantur hæc, an iniuria, non disputo. Sed fac tamen iure, ac meritò reprehensa. Si qua Virgilius, aut ab incredibili, aut ab indecoro videtur labe respersus, eã ego Fulgentij Placiadis, hominis docti, & Christiani auctoritate detergam. qui fabulam hanc sapienter interpretatus, tres illas Deas humanæ vitæ rationem dixit esse tripartitam: contemplantem Palladem, actuosam Iunonem, Venerem voluptuariam. Has Deas propterea iudicari à Ioue non debuisse, quòd Deus liberã homini deligendæ vitæ optionẽ dederit, vt quam velit è tribus, suo arbitratu, ac iudicio cõplectatur. Addit, neq. prudẽtem aliquem, neq. doctum eius causæ iudicem fuisse delectũ; quia cum esset illo figmento stultorum consilium exprimendum, qui contemplationis actionisq. hoc est virtutis, ac doctrinæ posthabita præstantia, voluptati corrumpendos se tradũt, tam parui, peruersiq. auctorem iudicij non acutum hominẽ esse oportuit, non eruditum, ac doctum, sed pastorem imperitum, ac rudem hominem; belluarum pene conuictu sic vtentem, vt parum ab ijs differre videretur. Multa præterea sunt apud hunc etiam Latinum Homerum, quæ petito ab allegoria patrocinio egent. Sed prouidere me oportet, ne vos ante patiẽter audiendi finẽ faciatis, quàm ego putide, molesteq. dicendi. Tantũ orandi mihi etiam, atq. etiam estis; vt quoniam hoc ad vos hodie iudiciũ à me delatum prudentius est, quàm illud ad Paridẽ, gregarios à Virgilio interpretes, velut ab interuerso fundo deijciatis, constituatisq. Philosophorum esse in tam amplo, splendidoq. sapientiæ regno dominari. Quod si plane de re non liquet, ac Iudicum sententiæ variant, ampliari per me licet, & cõperendinare; vt actione altera, & dicatur à me copiosius, & à vobis de tota causa facilius decernatur.

DE VIRGILII ALLEGORIA MORALI.

ORATIO II.

QVOD votum est Comicorum omnium poëtarum, palam, ac liberè profitentium, ea se gratia, consilioque adiecisse ad scribendum animum, vt populo placerent, quas facerent fabulas, id me votum iam sæpe damnauit, ac reum fecit apud vos Auditores: quorum humanitate factum video, vt numquam ex hoc loco dixerim, quin ea, quæ dicerentur à me, oculis, vultu, nutu, ipsa etiam, quæ vendibiles excipere solet orationes, admurmuratione secunda comprobaretis. Licet ita hodierna die non tam de me gloriosè, atque inuerecundè prædicare, quàm de vestris in me promeritis amplè, magnificèque sentire. Nam cum semper hic mihi vigiliarum mearum extitit fructus, vt à vobis accurate, ac libenter audirer, tum verò maxime anno superiore; cum explanationẽ Virgiliani operis à Grammaticorũ vulgo sic vindicaui, vt contenderẽ, Philosophorum esse, Philosophũ illum poẽtam, aut poẽtarum veriùs Platonem, quemadmodum eum nominabat Alexander Seuerus, auditoribus interpretari. Acclamastis inquam orationi meæ, atq. arcanam in eo poëta Philosophiam occultari aliquam, vestro quoque suffragio decreuistis. Nunc, quoniam ita placere omnibus hanc sententiam animaduerti, & à Philosophis, quorum fines intraueram, neque fastidiosè reiectus, neque postulatus iudicio, aut appellatus ex tribunali sum; intelligo mearum esse partium, constituere certam philosophiæ formam, quam in opere, veluti mysterio quodam videatur allegorijs poëta solertissimus obduxisse. Cum enim à Platone omnis philosophiæ ratio tres in partes tributa sit, quarum prima subtilitate disputandi, ac differendi, altera moribus, & vita, tertia naturæ ipsius obscuritate contineatur; nisi etiam dico quam tandem è tribus hisce formis appositam Aeneidi, atque obuolutam illo poëmate putem, fidem meam, quam tum vobis Iudicibus obligaui, non liberabo.

Prin-

Principio igitur, vt ab incertis explorata, & certa secernamus, illud ponendum existimaui, quod turpissimum esset, in dubium, quæstionemque venire, eam philosophiæ partem, quæ genera partitur, ac species, quæ consequentia, & repugnantia videt, quæ distinguit ambigua, non fuisse optimi poëtæ consilium in grauissimũ illud opus includere: nisi eos fortasse audiendos putatis, qui paulo superioribus annis tam acute, atq. subtiliter de poëseos vi, ac natura disputabant, vt eam non modo Dialecticæ, sed etiã Sophisticæ subiungere non dubitarent.

Vnum igitur esse video, quod disputando inuestigare, ac quærere minime puduit prudentissimos viros: naturalem ne, an eam, quæ de moribus agit, philosophiam in toto poëmatis cursu persequatur Virgilius, & occulat allegorijs. Quæstionis verò causam eam esse dicunt, quòd nihil in disputationibus illis acutis, aut docetur à Physicis, aut à morum doctoribus explanatur, quod à poëtis ipsis implicitum fabulis, & conuolutum non sit. Nam, vt à naturalibus ordiamur, ea primum initia in oculos ipsos, ne dum in animum, ac mentem incurrunt, quæ ab Empedocle radices, & rerum omnium fontes appellantur. De quorum altercatione, atque inimicitia, quam exercent, antequam ex ijs aspectabilia corpora coalescant, superuacaneum est apud doctos, & sapientes viros multa commemorare. Illud breuiter, & cursim repetere memoria satis sit, ex illo elementorum conflictu, velut ex bello iam profligato existere naturalium rerum, atque adeo ipsius vniuersitatis admirabilem consensionem, ac pacem. Hanc ergo genitalium corporum pugnam, in qua naturalis philosophiæ primordia, & quasi rudimenta posita sunt, nolite putare, aut ignorasse poëtas, aut in suis ipsorum fabulis præterijsse. Vetat enim nos ita suspicari Græcorum facile princeps Homerus, qui Deorum in cælo simultates, & ciuile prope dissidium studiose depingit, cum videlicet.

Contra Neptunum flauus confligit Apollo,
Tela tenens pennata manu, cum Pallade Mauors
Congreditur: iacit arcitenens Diana sagittas
Iunonem contra: pedibus talaria gestans
Latonam aggreditur, sumptis Cyllenius armis.
Parte alia ignipotens magno cum flumine pugnat
Mulciber, ætherei Xanthum quod nomine dicunt
Cælicolæ.

Ego ne ita cæcus sim, vt Homerum, qui tam multa sine oculis vidit, intelligere non potuisse credam, quam hæc à Dijs aliena discordia sit, atque in fouendis mortalibus intestinum ipsi cælo, ac planè domesticum bellum: neque suspicer potius, immo prorsus in animum inducam meum, tectiorem aliquam, & remotiorem ab oculis pugnam illo Deorum prælio voluisse describere? sequar Alexandrinum Cyrillũ, non sapien-

sapientissimum modo, verum etiam sanctissimum ducem: qui abditos, ac penetrales Homeri locos face prælata colluſtrat, & ceteris intuendos tamquam interpres, ac myſtagogus oſtendit. Is igitur in eius libri proœmio, quem contra Iulianum Cæſarem perfidioſum Chriſtianæ religionis deſertorem promulgauit, hæc Homeri figmenta cum ijs contulit, quæ corporis actione, quæ voce, ac geſtu ab hiſtrionibus aut mimis redduntur in ſcena. quemadmodum enim poëtæ, qui Theatro ſeruiunt, minime ſatis habent, aut ira percitum hominem, & cupiditate, aut contentione, atque ambitione diſcordem, aut æſtuantem inuidia, aut ieiunio enectum, & fame verbis affingere; ſed ipſam quoque iram, & cupiditatem, illam ipſam inuidiam, diſcordiam, ac famem, corporatam, aſpectabilem, ſpirantem etiam, & loquentem faciunt: ſic Homerus naturalis Philoſophi partes acturus, haud ſibi ſatis eſſe putauit ipſa rerum naturalium initia, quæ vocamus elementa, verbis retexere, niſi etiam quibuſdam quaſi perſonis induta produceret in medium, & legentium oculis ſpectanda per otium, ac contemplanda proponeret. Itaque varia illa partim in Troianos, partim in Græcos bellantium Deorum, & digladiantium ſtudia, variæ ſunt, aduerſæque qualitates elementorum, quibus inter ſe continenter, ac ſemper bellum gerunt, continenter intereunt, a c renaſcuntur: quæ videmus, ſenſuque tractamus corpora conformant, ipſam ſeruant, & continent rerum vniuerſitatem. Quam quidem elementorum pugnam, quia diuinam exiſtimabat Homerus, non hominum illud prælium eſſe dixit, ſed dimicationem Deorum, non mortales inter ſe certantes, & concurrentes induxit, ſed bellum vnà committentes, & ferro decernentes Diuos. Quid enim eſſe cauſæ putatis, cur Apollinem igneum illum, & radios vibrantem Deum cum Neptuno, maris, & aquarum, quæ ab illo naſcuntur omnium præſide, congredientem faciat, niſi quia calidum, & ſiccum elementum humido, ac frigido, qualis aqua eſt, aquarumque moderator Neptunus, aduerſatur? Cur Iunoni aëris dominæ Dianam, quæ Luna etiam dicitur, opponit in prælio, niſi quia flabilis, & ſpirabilis aër à Luna, quæ in ſubiecta, & ſuppoſita omnia non tam ditionem, quàm maleficiũ exercet, agitatur ſemper, ac permouetur? Cur Vulcanus Scamandrum, ſiue Xanthum, illum nobilem Troiæ fluuium bello premit, ac ſequitur, niſi quia feruẽs, & maxime calidus ignis, quẽ habet in poteſtate Vulcanus, humidis, ac frigidis rebus, vt de Apolline dicebamus, eſt inimicus?

Sed in ea pugnantium Deorum congreſſione illud mihi mirandum eximiè videri ſolet: quòd, quem diſcordias componentem, atque adeo auctoritate, ac maieſtate bellum inhibentem eſſe oporteret, eius pugnæ cum animi oblectamento ſpectatorem, & digladiatione illa gaudentem Deorum omnium Principem, ac dominum Homerus facit,

facit, & custodiuit Iouem. Quantum enim assequi cogitatione possum, id significare videtur, quod nec à vero, nec à recta religione abhorret: elementorum pugna, & quæ ab elementis ita pugnantibus exiſtit, omnium procreatione rerum, despicientem è cælo Vniuersitatis molitorem, atque opificem Deum summopere delectari. Ab hisce rerum initijs, ad ventos, quorum est incredibilis vis, atque in omni vitæ parte admirabilis vsus, veniamus. Multa quidem de his implexa fabulis, & commentis sunt; sed illud longe pulcherrimum, & rationibus nostris accommodatissimum iudico, quod Vlyssi, homini maxime gnaro, ac scientissimo accidisse commemorat idem Homerus. Cum enim diu, multumque aduersa ventorum tempestate iactatus, & circumactus in mari fuisset, Aeolum, illum procellarum dominum, gubernatoremque ventorum conuenisse, ac rogasse dicit, vt aliquem tandem, & turbinibus incommodis, & errori suo modum, ac finem imponeret. Ne longum faciam: auditus illicò à Rege ventorum est, & tam diuturna calamitate, temporis puncto leuatus. Accipit ab humanissimo procacis populi Deo ventos omnes, atque anhelitus terræ folliculo insutos, & culleo, quasi parricidas; vt eos in officio contineret semper, & secunda in posterum nauigatione vteretur. Quid vobis hæc fabula videatur, haud sane scio. Equidem non ita stultum putarim Homerum ingeniosissimum poëtam, vt tam pingue mendacium credibile se facere posse confideret. Aliquid profecto ea dignum sapientia, qua præditus erat, tam impudenti vanitate docere, ac exprimere voluit. Docuit sane feliciter, expressitque: non id modo significans quod Eustathius interpres affirmat; Astrologum ea memoria fuisse præstantissimum, qui ventorum quorundam exortus, occasusque diuinarit, & Vlyssi prædixerit; sed naturæ miraculum abditissimum adumbrans, eorum, qui Physicam tractant quandam remotiorem, quam naturalem magiam appellant, testimonio comprobatum, hoc est, ventos habere insitam illam, impressamque natura cum vtribus simultatem, quam Græci ἀντιπαθείαν vocant: sic prorsus, vt numquam in eam cæli regionem aspirent, vbi certi quidam folles ex edito, ac sublimi loco deligati suspendantur. Intellectum id primum est Empedoclis beneficio, quod testatum reliquit in duodeuicesimo historiarum libro Timæus: vbi confirmat, eum Philosophum incredibili quodam modo, ac singulariter attulisse mortalibus admirationem. Nam cum aliquando immoderate, insolenterque flarent Etesiæ, sic, vt vrbium turres, & tecta quatefacerent, corrumperent segetes, ipsas etiam arbores, ac siluas extirparent, aliquot deglubi asinos, & vtres è pellibus factos in collibus, atque in altissimis montium verticibus, ad vehementissimos illos ventorum inhibendos, & comprimendos flatus, suspendi, ac collocari iussit. Qui cum occi-

dissent

dissent subitò, & confestim in ea prouincia spirare desijssent, eorum more, qui victis, debellatisque populis, ac Regnis, nouum sibi cognomen inueniebant, κωλυσανέμας à Græcis, hoc est ventorum depulsor, ac profligator, honorifico sane vocabulo dictus est.

Sed quia leuissima hæc, & tenuissima ventorum corpuscula subterfugiunt visum, præstat ad ea, quæ magis oculos, & sensum cient, inprimisque ad cælum orationem conuertere: quo nihil pulcrius, nihil ornatius, nihil quod Philosophos ipsos ad sui contemplationem vehementius rapiat, inueniri, aut cogitari animo potest. Quid ergo de hoc altissimo Dei Opt.Max. domicilio tam graphicè facto, aureis illis circulis quasi balteis vndique comprehenso, creberrimis astris, tamquam bullis, gemmisque artificiose distincto, ipsi quoque poëtæ philosophantes imperitæ hominum multitudini tradidere? tam varia, tamque à vero in speciem aliena, vt pigeat relegere animo fabulas, atque hoc loco ad satietatem vsque recensere. Vnum tamen haud præteribo tacitus, quod instar omnium esse possit. Quid tandem? dicam breuissime. Cælum incudis filium facere poëtæ non dubitarunt: duram oppidò illi matrem dederunt, & quæ parere non posset, nisi tonitru, ac fulmine perterreatur. Næ ipsi plumbei, aut etiam incudes putandi sunt, nisi prudentissimam aliquam sententiam tam magna stultitia tegere voluerunt. Cur enim cælum incudis potius filius sit, quàm aut mallei, aut scalpri, aut etiam officinæ? Liberat nos ea quæstione, ac dubitatione Phurnutus: qui propterea ex incude parente natum esse cælum à veteribus dictum autumat, quòd significare doctissimi viri, ac demonstrare mortalibus vellent, perpetuum cæleſtium orbium vltro citroque meantium sine vlla comminutione collisum, & materiam omnis immunem interitus, omnis omnino vitij, atque corruptionis expertem. Vt enim illa ferrea fabrorum massa, quam incudem dicimus, noctem, diemque malleis assidue tunditur, neque corrumpitur, aut comminuitur tamen: ita cæleſtes illæ rotæ, quarum citimæ inuolutæ sunt extimis, perpetuo quidem cursu circumaguntur in orbem, sed tamen neque detritæ sunt vnquam, nec in futurum vlla ratione deterentur. Probare videtur hæc Platonis amantissimus, ac studiosissimus Proclus: qui cælum ab antiquorum multis appellatum æneum arbitratur ad illam eandem opificij pulcherrimi perennitatem, æternitatemque declarandam. De naturalibus ita diximus.

Sequitur, vt de ijs, quæ moribus, aut multiplici hominis officio continentur, aliquid etiam in medium proferamus: quæ quoniam in præceptis versantur, partibus singulis humanæ vitæ salutaribus, ab obscurissima illa Hesiodi fabula initium faciam, quam inuolucris explicatam suis proposuit nobis antiquissimi temporis Philosophus

apud

apud Galenum Chryſippus. Canit igitur Heſiodus, Iouem vetulum illum Deum, & tam multarum nuptiarum, Metim virginem præclaro ſibi coniugio deuinxiſſe: quam cum eximiè muneribus ornaſſet, ac mundo, cum præter cæteras coniuges blanditia conſuefeciſſet, & gratia, in ipſo toro, atque complexu commanducauit totam, atque in ventrem penitus abſtruſit ſuum. Quid deinde factum putatis? fingite hoc ipſo commento, quod accepiſtis ex me, fabuloſiorem fabulam: vincenda tamen eſt expectatio veſtra mendacio. Meti grauidus, ac fœtus Iuppiter, iamque ad pariendum vicinus, ſic dolere, ac diſcruciari capite cœpit, vt à Vulcano ſecuri aliqua, vel cuneo ſibi diffindi vellet, & cuperet cerebrum. Ita prorſus id factum eſt, vt Iuppiter imperarat: qui confeſtim periculo puerperij liberatus, in lucem è bipartito capite Palladem, doctiſſimã diſciplinarum, & conſiliorũ omnium moderatricem effudit Deam. Ridetis tam palmare mendacium; nec iniquè ridetis. ſed riſum in hac fabula iubet tenere Chryſippus. Ait enim, Metim nihil aliud eſſe, niſi prudentiam, artemq. vitæ ſapienter, ac moderate degendæ; adeoq. traditum ab Heſiodo, eam virginem conſilio, ac ſapientia Dijs, hominibuſq. antecelluiſſe vniuerſis. Hanc videlicet prudentiam vorare quodammodo nos, hoc eſt diligenter, & quam citiſſime comparare, atq. in capite condere ſapientes iubent. Nam ingenioſe Galenus ipſe ita fabulam hãc ſecundum Chryſippum enodat, interpretaturq. de ſuo: meritò primũ in ventrem ab ore detruſam Metim, deinde conceptam in Iouis capite Palladem: quia prudentia ortum quidem ducit à ſenſibus, habetq. in ipſo rerum experimento incunabula quædam: ſed tamen in capite adoleſcit, maximèq. perficitur in vertice, vbi medius, & præcipuus cerebri folliculus eſt. Sic ille philoſophatur: ad veritatem quidem nõ omninò recte, ad ſenſum Heſiodi ſapienter. Quid vero nobis etiam fiet, vbi hanc moderandæ vitæ rationem, ac viam didicerimus? id omnino, quod accidiſſe Ioui comminiſcitur fabula. Quemadmodum enim Iuppiter, exhauſta iam, vorataq. Meti, conſultiſſimus euaſit, & Palladem peperit, ſic vbi verã nos prudentiæ ſpeciẽ informauerimus animo, non modo nihil in vita peccabimus, ſed noſtra ipſorum cogitata, quæ veluti fœtus ex capite proferemus in lucem, non cogitata mortalium eſſe, ſed ab ipſa Pallade profecta conſilia videbuntur.

Ceterum hanc, quæ de moribus agit, philoſophiam, nihil eſt, quod habeat, & contineat magis, quàm dati hominum criminibus apud Inferos Iudices, & certa certis ſceleribus, ac peccatis excogitata fabulosè ſupplicia. quibus figmentis, ne ſemidocti quidem, ac pene populares ipſi vllam adhibendam eſſe fidem arbitrantur. In manibus ſunt, & quotidie leguntur à nobis, quæ nouitius, ac tiro philoſophiæ apud Marcum Tullium in eam ſententiam diſerte, ac luculentè profitetur

fitetur in Tuſculanis. Tantum enim abeſt, vt vel tricipiti Cerbero, vel fremitu Cocyti, vel Acherontis tranſuectione, vel Rhadamanthi iudicio commoueri queat, vt etiam poëtarum, & pictorum hæc eſſe portenta conuincat. Quod ſi hoſpitem hunc philoſophiæ contemnitis, eiuſque teſtimonium non probatis; habeo proferre Philoſophos magnos, & eruditos viros, qui facilè adoleſcenti, ac ſapientiæ tironi ſubſcribant. Nam in omni philoſophiæ genere verſatus, exercitatuſq. Plutarchus, in eo libro, quem de audiendis poëtis inſcripſit, ardentium apud Inferos fluminum, locorum horribilium, portentorumq. deſcriptiones intelligere iam omnes affirmat, fabulas eſſe: ac ne Pindarum quidem ipſum, aut Sophoclem vera putaſſe, quæ de Inferis, ac de Inferorum monſtris ſcriptis verſibus cecinerunt. Cur ergo illa commenti poëtae ſunt, cum neq. crederent ipſi, neq. credibilia populo eſſe arbitrarentur? cur? nimirũ vt multiformibus, monſtroſiſq. illis imaginibus Inferorũ, & ſceleris deformitatem effingerent, & multiplices manere pœnas eos, qui delinquerent, ſimulato terrore, ac ficta turpitudine demonſtrarent. Itaque in illo Tantali fugitiuo lacu, atque pomarijs, non Tantalus ipſe nominatim, ſed generatim vniuerſeque plectitur auaritia: in Ixionis illa rota non tam ipſe iactatur Ixion, quàm torquetur, & circumagitur ambitus: in Titij dilaceratione miſerrima non tam ipſe punitur, & pœnis afficitur Titius, quàm dolore carpitur, & laceratur libido.

Nullus vmquam Philoſophorum fuit, qui certius hęc credere videretur, quàm Plato. & tamen idem ipſe, qui in Phædone veriſſima eſſe ſanctè, ac pene iuratus affirmauerat, in primo de Republica dicta mutat, & palinodiam cantat. Docet enim apertè, diſtinctèque pronunciat, ea, quæ de quatuor Inferorum fluminibus, deque Rhadamantho, ac Aeaco vulgauerunt poëtæ, deliramenta ſomniantium, atque aniles fabulas eſſe. Quid hìc igitur à nobis in tanta dictorum inconſtantia conſtituendum erit? An excordem, & pugnantia locutum dicemus tam magnum, & ſapientem virum? Non patitur nos de Platone, quem appellabant antiqui Philoſophorum Deum, tam male ſentire, ac iudicare Platonicus Olympiodorus. Habet enim ad allegoriam, velut ad munitiſſimam arcem, perfugium; vnde pro magiſtro fortiſſimè, acerrimèq. propugnet. Nam ſi monſtra ipſa, & compoſitæ Inferorum formæ ita per ſe ſpectandæ ſint, vt exprimuntur in fabulis, tum enimuero contendit, à Platone, non modo fabulas dici, ſed ipſam quoque fabuloſitatem. Sin autem allegorias intueamur ipſas, quarum cauſa turpiſſimæ illæ, incredibileſque monſtrorum ſpecies fictæ ſunt, ea veriſſima eſſe, atq. adeo ſapientium oracula Platonem credere, ac dicere putat. Placet hìc Procli etiam verba, Platonem, ac Homerum à calumnia vindicantis penè de ſcripto recitare. Inferorum, inquit, illæ regio-

regiones, ardentia flumina, & ea, quæ de Rhadamanthi iurisdictione docuerunt Homerus, ac Plato, non omnino sunt habenda somnia, vanitatesq. stultorum. Vt enim in cælo certæ sunt, & pro meritis designatæ vnicuiq. Cælitum, atque Indigetum sedes, ita putandum est, mortalium animas, quæ vel afficiendæ supplicio, vel expiatione purgandæ sunt, ad loca quædam abdita, & ea subterranea demigrare; quò veluti flumina, ipsæ rerum omnium fæces, & concretiora elementorum purgamenta decurrunt.

Spissum opus, atque infiniti propè laboris esset, cetera in hoc ipso genere persequi, quod tractamus. dicam in summa: quicquid aut in natura contemplati cogitatione sunt, aut in moribus salutari documento, ac lege præscripsere Philosophi, id compertum habetote, & vidisse poëtas, & hominum generi fictis fabulis, quasi mollioribus quibusdam præceptis exposuisse.

Quæ videlicet causa (huc enim mea spectabat, & collimabat oratio) ita mouit aliquos haud indoctos, atque illitteratos viros, vt cum ijs liberum videretur de Virgilio vtrumque pro arbitratu decernere, maluerint eum naturalem Philosophum facere, quàm vitæ, morumq. præceptorem. Videbant enim vtramq. philosophiam à poëtis implicitè, abditèq. traditam fabulis: videbant permultos ipsius Virgilij locos ab antiquissimis quibusdam scriptoribus explicatos ita, & explanatos fuisse, quasi naturalis essent philosophiæ, non ciuilis institutionis inuolucra. Sed non viderunt, eam rationem infirmam esse, & quæ nihil præterea vincat, nisi aliquando in tam amplo poëmatis campo quosdam occurrere locos, qui naturalis philosophiæ doctrinam complecti, ac tegere videantur. Non enim id efficit, quod efficere, ac demonstrare oporteret, opere continuato, atq. perpetuo à Virgilio non mores, sed rerum naturalium cognitionem adumbrari. Quod si ea ratio quicquam posset, posset illud etiam facere, vt quoniã multis apud eum poëtam locis antiquorum opiniones de Dijs, & sacrorum ceremoniæ continentur, Theologus appellari debeat, & Pontificij iuris interpres. cum præsertim Honoratus Seruius scriptum reliquerit, à Virgilio plurima dici ex altissima Aegyptiorum Theologorum scientia, & disciplina. Et haberent, opinor, Scaligerum illum Iulium huius sententiæ facilem adstipulatorem: cuius ea videlicet erudita vox, atque oratio est; Virgilium excutere omne philosophiæ penu, & ex adytis Metaphisicæ loqui. haberent patronum veterem illum Grammaticum, atq. interpretem poëtæ Donatum: qui tantum Virgilio tribuit, vt libere, fidenterq. confirmet, eum liberalium artium non modo peritissimum esse, sed doctorem etiam, & magistrum in opere.

Equidem cum istorum studia satis demirari non possum, qui tam impotenter, ac perditè Virgilium amant, vt eius causa omniũ disciplinarum

narum fines violenter inuadant ; tum verò me ipsum ignauiæ, ac timiditatis accuso, quòd tam amplè campum, atque imperium illi proferre non audeam . Fateor me plus nimio formidolosum, & verecundia pene semipagana præditum esse natura . sed si formidinis causam dixero, scio vos daturos esse veniam pudori meo. Nō possum sine aliquo sermonis diuerticulo explicare quod timeo. recordabor tamē itineris instituti, neq. monitorem expectabo, qui me, commonstrata columna, reducat in viā, vnde deflexi. Age igitur. Aesopum norunt vniuersi qui litteras norunt. quin etiam tonsores ipsi, atq. illitterati omnes cognitum habent . Expositus erat is ab institore domino in Sami foro duobus intermedius venalibus pueris, artibus eruditis, & elegantibus forma; quorum alter Musicus erat, alter Grāmaticus; vterq., vt ea natio facta est, ad omnem proiectus audaciam . cum ecce tibi Philosophus magni nominis Xanthus, siue casu, siue consilio commodùm in emporium venit . Vbi , turpissimum hominem insignibus interiectum pueris conspicatus, enimuero mercator hic, & sapit, inquit, & in rem suam callidissimè prospicit : qui comparatione deterrima fecit, vt iuuenes illi habitiores esse viderentur, & pulcriores. Tum propius ad catastam accedens , venales illos adolescentes de suis ipsorum artibus percunctaturus, cantorem interrogat primum, ecquid facere sciret. Quid ni respondet Musicus? omnia. Hic Aesopus, vel audaciæ non ferenda commotus, vel calliditate tam stulta delectatus, diductis enormiter labris, quæ nigra, crassa, prominentia, atq. vsq. ad miraculum vtrimq. habebat inflexa, tanta cū turpitudine risum fecit, vt solueriit pariter omnes Xanthi discipulos, qui erant spectaculo circumfusi. Pergit nihilominus Philosophus etiam rogare Grammaticum, numquid ipse calleret. Ille nihil addubitans, aut moratus, maiori cum audacia respondet, omnia. Quem cum Aesopus eadem sanna excepisset, ac risu , cœpit sedulò cogitare Philosophus, quid esset causæ , cur monstrosæ deformitatis mancipium ita sociorum respōsa rictu, & cachinno deluderet . Quin ab ipso quoq. sciscitamur , inquit , artem, quam teneat? fortassis etiam derisionis causam cū artificio dicet. Age igitur tu infelix mortaliū irrisor, & despicatissime sannio: quid facere nosti? nihil, respōdet Aesopus. nihil? plane inquam. an non tu furciferos, & verberones istos audisti, cum omnia se scire profiterētur? Quid reliqui factum mihi esse arbitraris? nihil. Historia quidem hæc est , & vera narratio ; sed eam mihi parabolam, atque apologum esse peruelim, hoc est, institutionem rationum mearum, & saluberrimum documentum . Quid igitur tandem ? Sunt in hoc Gymnasio haud minus quàm in Sami foro mercatorum essent, varię Doctorum officinæ: quorum si perturbarē, & confunderē artes, contenderemq. in vno Virgilio suppetere, atq. exposita esse omnia, quæ ceteri, distributo per partes

labore,

labore, ac ſtudio docent, digniſſimus profecto eſſem, qui ab Aeſopo deluderer, & exſibilationibus omnium proturbarer à foro. Conſulam igitur in rem meam accuratè, neque in eam poſſeſſionem inuolabo, quæ mihi decreto Prætoris addicta non ſit.

Satis inquam habeo, eam doctrinam adiudicare Virgilio, quam Horatio relegẽdam Homerus tradit in Præneſtino. Is enim, vt ait ille, cum bellum Troianum omni allegoriarum pulcritudine cumulet, non illum cæli curſum diuturno mortalium ſtudio repertum, non aſtrorum errantium acceſſum, & receſſum, non ſtirpiũ vim, & facultatem, non alias rerum naturalium cauſas fabularum integumẽtis inuoluit:

Sed quid ſit pulcrum, quid turpe, quid vtile, quid non,
Plenius, ac melius Chryſippo, & Crantore dicit.

Et tamen in eò poẽmate multa ſunt, quæ ad naturalem philoſophiam declarandam pertrahi facile poſſunt. Cur ergo morum potius conformationem, quàm naturæ cauſas ab eo diſcit Horatius, niſi quia ſingulis hominum ordinibus in illa perpetua, & continuata poẽmatis allegoria præſcribuntur ample, & de induſtria mores, naturalia ſparguntur parce, ac velut appendiculæ quædam operi magno ſubſeruientes adduntur? Quotus enim quiſque Conſularẽ, aut Prætoriam viam eò ducere contendat, quò tramites, ac ſemitæ ferunt, ac non potius tramites, ipſius diuerticula quædam eſſe dicat militaris viæ? Recte ſane ſapientes, peritique rerum æſtimatores docent, nihil eſſe, quod materiam, quam tractant, & in qua verſantur ij, qui aliquid ſcribunt, patefaciat, & demonſtret magis, quàm finis, quò ſtudium referunt vniuerſum, & cuius cauſa cetera faciunt, ac moliuntur. Quare cum Virgilio non ipſius cognitio, inueſtigatioque naturæ, ſed morum diſciplina, & ciuilis inſtitutio propoſita ſit, minime profecto dubitandum, aut quærendum eſt, in quorum philoſophorum numero collocandus videatur.

Sed quæ te cauſæ, dicet aliquis, in eam ſententiam impellunt, vt de Virgilio decernas, morum expolitionem illi propoſitam eſſe, non explicationem naturæ? quaſi vero in hoc genere pro ſumma ratione habenda non ſit auctoritas, ac exemplum Homeri, ad cuius ſimilitudinem hic noſter artem, manumque ſtudioſe direxit. Sicut enim ſatis, ſuperque videbar oſtendere, hoc vno nomine in Virgilij poẽmate allegoriam latere, quòd in Homero eſſe aliquam vniuerſe demonſtrarem; ita nunc, in eodem opere nominatim illigari morum philoſophiam, vel hoc ipſo probari à me planiſſime credo, quòd eam ſapientiæ formam Homerum expreſſiſſe probarim in ſuo.

Sed tamen, ne in ſumma rerum copia, egeſtate, atque penuria laborare me quiſpiam putet, ex ipſa communi poẽſeos definitione rationes ego repetam validas, quæ facile vincant, hominũ mores attendere

non de rerum natura cogitare Virgilium. Nemo enim est, qui non hunc & optimum, & præstantem ceteris poëtam velit, hoc est, non arbitretur, expleſſe numeros omnes absolutæ poëseos. Atqui poësis ipsa, si genus inspicias, quid aliud ab Aristotele, quàm imitatio dicitur, atque actionum humanarum expressio? Actiones autem humanæ ita continentur, & constant moribus, vt ab ijs seiungi, ac separari non queant. Nam quæ hominis actio esse, aut fingi potest, quæ, vel bono, vel prauo more affecta, & constituta non sit? Imitatur poëta regentem milites Imperatorem, seditione discordes, atque altercantes ciues, tyrannidem occupantes improbos, alia ex eo genere propemodum infinita: quæ quoniam ab homine tantum effici possunt, neq. cum ceteris animantibus communia sunt, actiones appellantur humanæ. Sed quis exercitum moderantem Ducem, quis popularium tumultus, ac turbas, quis Tyrannorum dominatum describere sine certa morum expressione possit? Planius id explicabitur à me, si vobis Aristotelis locus longe nobilissimus in memoriam redigatur: vbi cum discrimen inter poëtam, atque historicum quæreret aliquod, illud ad extremum inuenit, & scriptis libris ad posteros euulgauit; quòd certas certorum hominum actiones historicus; generalia quædam, atque communia persequatur poëta. Cum enim Agamemnonem auditis, abducta Briseide, castra pene Græcorum inimicitijs, ac discordijs euertisse, nolite credere, hunc Agamemnonem esse, sed hominum inflammatam libidinem vniuersæ, cuius explendæ causa nihil ab ijs moderati, nihil pensi ducitur; ipsi etiam produntur ad certum exitium ciues. Cum legitis, Achillem obstinato ad otium animo, expeditionem illam Græcorum, & patriæ victoriam retardare; illud exploratum habetote, non eum Achillem esse, sed generatim ira furentem hominis animum, iniuriæque vlciscendæ cupiditate præcipitem, atque impotentem. Cum Vlyssem deligatum ad malum, Syrenum scopulos impune prætereuntem admiramini; non eum vos Vlyssem existimare debetis, sed hominis consilium; & suis perfectam numeris sapientiam; quæ voluptatum inuitamenta negligit, quæ periculis expositæ iuuentutis breuia, syrtesq. declinat, quæ rectæ rationis malum semper, & gubernaculum tenet. Hæc autem tractare, ac generales hasce morum species, quas Plato appellat ideas, componere animo, cuius philosophi est, nisi eius, qui de moribus hominum vniuersè disputat, & communia quædam vitæ moderandæ præcepta conformat?

Altera huius sententiæ causa etiam à communi poëseos ratione petitur, atque in eo ponitur à me, quòd cum ab Aristotele constitutum sit, poësim arti ciuili, quam Græci Politicam vocant, subiunctam, & velut obsecundantem esse, dicendum necessariò videatur, morum procura-

procurationem, atque administrationem quodammodo demandatam esse poëſi; quos videlicet castigare, componere, moderari, ad publicam felicitatem dirigere, ciuilis est rationis, & politicæ disciplinæ. Nam cum non modo liberales artes omnes, sed ipsa etiam opificia Politicæ quædam præsidia sint, nihil erat necesse nominatim pronunciare, ac dicere, poëſim ciuili subiunctam, & subseruientem esse, nisi propria illi, & singulari quadam ratione subiungeretur. At quæ tandem illa peculiaris, ac propria ratio est, nisi morum tractatio? quæ non, vt pleræque disciplinæ ciuilis tantum imperio paret, sed adest, apparetque dominæ semper, & dies, noctesque domestico quasi seruitio famulatur.

Postrema ratio, non ab ipsa communi poëseos forma ducenda est, sed nominatim ab Epica. Nam quicumque de illa scripserunt aliquid, ij quandam esse dixerunt Imperatoris optimi conformationem, ac Regis. Quæ causa, nisi mea me fallit opinio, fuit, cur Alexander Iliadem Homeri tam sæpe legeret, vt eam, & sub puluino vnà cum pugione retineret semper, & ipsius viaticum militiæ nominaret. Existimabat enim in Achille, cuius tantopere laudē æmulabatur, optimi Ductoris institutionem ab Epico poëta sapientissimo expositam esse. At quì potest Imperator, aut Rex informari, nisi cum eo de officio transigatur, & moribus? Neque enim Imperatoris est naturæ cognitio, sed diligens officiorum tractatio, quæ morum expolitione constat, & moderatione quadam animorum.

Huc accedit, quod multa sunt in Heroicorum absoluto poëmate fabulæ principis episodia, quæ nec generali aliquo præcepto, nec exemplo ipsa per se Regem instituere videantur. Quo fiet, vt quoniam illæ poëmatis Epici partes nihilominus Imperatoris institutiones sunt, aliqua eum instituant allegoria, quæ figmentis nihil ad rem in speciem pertinentibus abdita teneatur. Nam quid attinet, Imperatorem eo plane modo Inferos adire, quo fingitur Aeneas ipse in tenebricosa illa terrarum gurgustia penetrasse, nisi aliquid illa descensione significetur, quod Imperatori, ac Regi debeat esse documento?

Cum igitur hæc, vt dixi, sic omnino se habeant, consequens est, morum philosophiam à Virgilio cani, cum canitur fabula. Si enim bonus poëta non est; qui humanas actiones non imitetur: actiones vero ipsas imitari nemo potest, nisi imitetur, & exprimat mores: si Epicorum est, Imperatorem instruere, non instituitur autem, nisi exquisito morum, officiorumque delectu: relinquitur, vt Virgilius, qui sine dubio poëta bonus est, & Epicus singularis, in moribus officioque versetur, hoc est morum philosophum agat sub poëtæ persona.

Requiret à me fortasse aliquis huius auctores, atque adstipulatores sententiæ; quos equidem proferre habeo non vulgares, sed sine controuersia principes. Ac primo quidem, nemo penè Virgilium laudat (laudant autem non doctissimi tantum, sed etiam grauissimi, ac sanctissimi viri) nemo, inquam, eum laudat, qui non Platonicum, & Platonis discipulum accuratissimũ faciat. Nam, vt nihil de Macrobio dicam, qui Platonis in eo sensa inuestigat, inuenitq. interpretando; vt taceantur à me qui Platonicis eum sacris, ac mysterijs imbutum dicunt, Augustinus optimus, non probitatis, & vitæ solum, verum etiam eloquentiæ, rectèq. dicendi magister, amplissimè testatur, Virgilium, & Platonicè philosophari, & sententiam Platonis explicare versibus luculentis. At Plato, si Timæum excipias vnum, quicquid litteris cõsignauit, id vel temperandæ Reipublicæ, vel priuatorum moderandis moribus accommodauit. Nihil ergo videtur aliud esse, Virgilium Platonicum facere, nisi eum in illorum Philosophorum redigere seriem, qui mores, & communis societatis officia tractant.

Explicat hæc haud incuriosè Donatus omnium ordinum enumeratione perfecta. Scribit enim, permulta in Virgilio esse, quæ patres, quæ filij, quæ viri, quæ coniuges, quæ milites, quæ Imperatores, quæ ciues optimi, quæ patriæ studiosi, amantesque communitatis addiscant. Huius videlicet poëtæ cantu admoneri mortales, vt suam ipsorum salutem Reipublicæ causa contemnant: huius tacita præceptione constitui, qualem esse oporteat, qui Deum rite, religioseque veneraturus sit. Hoc edici magistro, atque auctore, quid ei cauendum videatur, qui sanctas, atque illibatas amicitias velit, quid ei metuendum, qui violat fidem, quid agendum illi, cuius auxilium in difficili aliquo temporis articulo postulatur. Hæc ille neq. indiligenter, nec vero etiam imperitè. Sed nullus mea quidem sententia melius, aut explanatius ea docuit, quàm Seneca morum præceptor longe grauissimus. Quid enim ille de Virgilio sentit, ac iudicat? Accipite non Laconicum dictum, non Romani Sapientis vocem, sed Palatini Apollinis oraculũ, aureis cælandum notis in foribus Templi. Quid inquam de Virgilio pronunciat tam magnus Philosophus? salutare carmen canit, inquit. Quid hoc est per vestram fidem? Quæ noua rerum miracula prædicantur? salutaris aliqua Siren inuenta est? sic prorsus. Salutare carmen Virgilius canit. quid ita, nisi quia institutiones vitæ salutares decantando carmine sic inuoluit, quemadmodum in templis ambagibus obducta, consulentibus, & fausta precantibus populis responsa reddebantur à Dijs?

Maximè velim tam amplis clarorum virorum testimonijs vnum adiungere, quod haud scio quantum apud aliquos auctoritatis habiturum sit: apud me quidem habet multum; apud eruditos, &

doctos

doctos viros habebit, vt spero plurimum. Dantem Aligherium existimatis poëtam, opinor, minime vulgati saporis, sed omnibus instructũ disciplinis; non philosophicis, atq. humanis modo, sed sacris etiam, & ijs, quas Theologicas nominamus: cuius doctrinam plane multiplicem, & Parisiensis Academia, vbi diuersabatur imperito illo sæculo sapientia, magnopere suspexit, & admirabilis quidam euentus vniuersæ posteritati commendauit. Nam, cum eo iam mortuo, postrema illa carmina, quibus Paradisi Cantica nomen fecit, in secreta, retrusaq. domesticarum ædium parte iacerent imprudenter relicta, nec sine multorum dolore desiderarentur in ceteris, quæ legebantur vulgò, & manibus omnium terebantur; ipsius poëtæ species, atq. vmbra candidis inducta vestibus Iacobum filium secundum quietem admonuit, vt certum, quem digito designauit, angulum domus excuteret, vbi ea scripta vnoquoq. mortalium inscio, delitescebant. Somno experrectus adolescens, & secum tacita cogitatione reputans visum, locum sedulò inuestigare, ac perquirere cœpit à patre demonstratum. Ne multa: ibi desideratum, & diu quæsitum carmen ita reperit, quasi ea sensibus accepisset, non per speciem obiectam animo somniasset. Is ergo tam sapiens, tam multis eruditus artibus poëta, illo etiã viso tamquam diuinitus approbatus, ita morum allegorias amauit, & persecutus est, vt nisi earum illustretur explicatione, & nominum enodatione declaretur, ne ipse quidem ambages illas intelligere possit, quas conuoluit, atq. implicat cantu. Sed tenetis credo memoria, quem itineris illius sui ad Inferos instituti moderatorẽ, ac ducem legerit. Scitis, inquam, eius viæ comitem adsciuisse Virgiliũ, à quo sic edocetur, quemadmodum apud Virgilium ipsum à Sibylla ducitur ad Inferos, & rerum occultarum doctrina eruditur Aeneas. Quid autem esset causæ cur Virgilium, ceteris præteritis omnibus, ducem, & doctorẽ vellet itineris. sapientissimus vir, nisi videret, eam ab illo morum philosophiam integi versibus, quam ipsemet obducere, atque integere cupiebat in suis. Neque enim aliud est, doctore, atque itineris duce Virgilio vti, nisi rationem Virgilij sequi, ac imitari.

Igitur, vt strictim, breuiterque comprehendam omnia: & Homeri poëtæ sapientis exemplo, & firmissima ratione, & doctorum hominum auctoritate moueor, vt credam, non ipsas naturæ causas occultas, sed morum disciplinam, ciuilisque prudentiæ præceptiones allegorijs à Virgilio, tamquam in vmbris, ac recessu fuisse conditas, quæ ab imperitis in eminentia fabulæ cerni non possunt. Reliquum esset, vt, quod prioris disputationis initio pollicitus eram, ipsa enucleare Virgilij præcepta, & velut è fabularum corticulis aggrederer expedire. sed quia circumductos orationi meæ limites præteruectus sum, & eorum qui me audiunt patientiam victam longitudine, ac inele-

ac inelegantia ſuſpicor, noua quæſtione ſuperſedendum puto, & veſtræ benignitatis auram in hoc eodem portu, quò me compulit, iterum expectandam.

DE CONTEXTV VIRGILIANI OPERIS ALLEGORICO.

ORATIO III.

QVONIAM eum mihi mouendum eſſe lapidem video, in eoque ſudandum amplius campo, quem ingenio, laborique meo aliorum circumſcripſit, & deſignauit auctoritas, Viri præſtantiſsimi, Religioſiſſimi P. P. Auditores ornatiſſimi, repetam hodie diſputationes illas, quas ad Virgilium, vel ornandum, vel interpretandum præciſe quidem, imperfecteque olim affeci, ſed nouarum identidem interceptus occupationum incurſu, plene, perducendoque, vt dicitur, ad vmbilicum opere numquam perfeci. Duobus enim ego congreſſibus illud vici; Aeneida, diuinum, quemadmodum antiqui loquuntur, opus, non tam eſſe fictam, conflatamque ad delectationem fabulam, quàm abditam eius, quæ de moribus, regendiſque ciuitatibus eſt, tractationem philoſophiæ. Sed quia nucleum iſtum intra poëmatis integumenta reliqui penitus, nec eas expoſui nominatim præceptiones, quæ traduntur ab Aenea, Imperatoris optimi vel ſuſtinente perſonam, vel ſpeciem præſeferente, totum aliquãdo corticem frangam, reſolutiſque putaminibus, id demum extraham foras, quod moribus, vitæque ciuili poſſit vtilitatem afferre.

Neque vero id ago, vt oſtendam, quod aggreſſus eſt olim imperfecto conatu Landinus, nullum apud Virgilium, neque locum, neque ſententiam, neque verbum vacare documentis, & præceptionibus abditis ſapientiæ. Sunt enim alij poëtæ, quibus ficus numquam eſt ficus: quales in Græcia fuere permulti; apud quos ipſæ etiam nubes, & ranæ loquebantur. Qualis apud noſtros Dantes Alighierius eſt: cui niſi

cui nisi locis omnibus, ac prope syllabatim suas reddas allegorias, nihil plane supererit, cuius causa poëta, hoc est verosimilium fictor rerum, habendus appellandusque videatur. Non ea, inquam, Virgilio ratio fuit, vt quod ipse panarium diceret, numquam vellet esse panarium. neque mihi consilium est, malitiose, ac per calumniam, vbi nullæ sunt, ibi fingere, ac comminisci velle rerum allegorias; sed illud vniuerse contendere, ac demonstrare, Troianorum Ducem, Romanæque stirpis originem Aeneam expressum nobis, ac propositum à Virgilio fuisse ad exemplum viri sapientis, optimique Imperatoris: qui à puero institutus, ac per singulas vitæ partes suis exercitatus virtutibus, ad eam aliquando felicitatem peruenerit, ad quam non modo priuatorum singuli, sed ipsæ quoque ciuitates, ac Regna collimant. Quam ego doctrinam antequam explico capitulatim, & breuiter, aliqua reuocauerim altius à Pythagoreorum, Platonicorumque principijs accersita, quorum sine dubio Virgilius, & secutus est, & consecutus in opere disciplinam.

Animam illi nostram, cuius beneficio viuimus, ac sumus, è cælo delibari, decerpique putarunt, quasi particulam aliquam, aut scintillam diuinitatis: adeoque in corpus hoc mortale, atque concretum tamquam in carcerem, & vincula, tamquam in sepulcrum aspectu fœdum, ac tenebris horridum, immo vero tamquam ad Inferos ita compelli, detrudique pronunciabant. Neque enim antiqui illi sapientes, quos appellarunt Theologos, aliud existimabant Inferos, ac Tartarum esse, quàm nostra ipsorum corpora: quibus inclusi mortalium animi tam multa sæpe cruciamenta, dolores, ægritudines, incommoda perferre, ac perpeti cogantur in vita. Quapropter omnia, quæ poëtica fabulositas illic esse persuasit hominibus, in nobismetipsis, atq. in humanis corporibus admoto quasi digito demonstrarunt. Nam obliuionis illum fluuium, animæ dicebant errorem esse, maiestatem vitæ prioris obliuiscentis: Phlegethontem, iræ faces, & cupiditatis ardorem: Acherontem, angorem, atque tristitiam, qua confestim capimur, vbi aliquid, vel feciſſe, vel dixisse nos pœnitet: Cocytum, quicquid homines in luctum, lacrymasque compellit: Stygem, quicquid mortales inter se discordes in odiorum gurgite demergit, mœstitudine teterrima contabescentes. Quin ipsam quoque pœnarum descriptionem variam, atque multiplicem ab humanæ vitæ desumptam exemplo voluerunt: vulturẽ illum iecur immortale tundentem, conscientiæ lacerationem, ac laniatum esse credentes, ipsas rerum flagitiose gestarum fibras vbique rimantis, ipsa prope animi viscera turpi contaminata scelere depascentis: enectum inedia, & fame inter epulas ante ora posita Tantalum, sordidos illos, atque auaros exprimere, quos habendi cupiditas insana ipsam cogit rerum præ-

sentium

sentium copiam non videre. illos, qui rotarum districti radijs in orbem aguntur assidue, incautos adumbrare homines, nihil consilio prouidentes, nihil explicantes virtute, nihil ratione moderantes, sed res suas fortunæ temeritati, quæ circumuoluit omnia, permittentes: Sisyphum adurgentem immane saxum, eorum significare labores, ac studia, qui cassa contentione, conatuque semper inefficaci concessa vitæ spatia conterunt. Eos autem, qui caducam silicem, & iam, iam lapsuram dies, noctesque pertimescunt, Tyrannorum ostendere felicitatem: quorum ceruicibus continenter imminet exitium quod meruerunt.

Hæc isti de nostro ipsorum Natali, deque animorum origine prædicabant. quibus aliqui Barbarorum populi condocefacti pronunciatis, homines vita functos cum hilari vocum sono, tibijsque suauissime præcinentibus ad sepulturam prosequi cœperunt; natos, atque in hanc lucem primũ exortos excipere cum lacrymis, & eiulatu lugentium præficarum. Nam qui Pythagoram initio, quique Platonem postea secuti sunt, duos prorsus obitus, ac mortes, vnam animi, alteram animalis esse tradiderunt. Mori quippe dicebant animal, cum animus è corpore demigrat; animam autem ipsam, cum à simplici, atque ab indiuiduo fonte naturæ in membra corporea, tamquam in sepulcra fœdissima, vel in tenebricosa gurgustia dissipatur. Putabant nimirum ibi sordescere, infici, turpificari societate, & contagione corporis animam, in earumque deprimi fontem ægritudinum, ac ærumnarum, quæ, quoniam acerbissimæ sunt, cum Inferis, cum Tartaro, cum ipsa morte malorum omnium clausula comparandæ viderentur. Et sane, si quis humanæ vitæ rationem expenderit, pestesque percensuerit omnes, quibus animus à corpore, vitiosaq. natura mortalium aspergitur, intelliget, hos non omnia male, mendoseque dixisse, sed explicasse populis aliquo cum mendacio veritatem. Nollem enim aliquis existimaret, me, cum hæc ita disputo, istorum probare phanaticam de nostrorum animorum origine, ac procreatione sententiam. Equidem, qui iamdiu versor in humanis literis, haud ita sum hospes in diuinis, quin & audierim de præceptoribus adolescens, & ~~sæpe~~ legerim in maiorum monumentis, opinationem istam Platonicam in Bracharensi Conuentu iugulatam propterea fuisse, quòd extitisset inter Christianos à Platone Philosophi quidam audaculi, qui docerent, hominum animas vna cum Mentibus illis, quas Angelos dicimus, à Deo quidem initio fuisse procreatas; sed fastidio demum affectas rerum cælestium, amare cœpisse infimas, ac terrenas: itaque ex eo tempore tamquam in carceres, & latomias, sic in corpora mortalium, ad persoluendum tam incredibilis stultitiæ supplicium continenter, ac subinde de cælo contrudi. Scio inquam

hæc:

hæc : neque cum dico, Platonicos, aut Pythagoreos de hominum ærumnis optimè iudicasse, illam etiam laudo delibationem animorum è cælo, ad quam velut ad stirpem, causamq. communem omnia vitæ lacrymabilis incommoda referebant. Quamquam quid ita me purgo, quasi necesse habeam ostendere, vera esse, quæ, aut Platonici docent, aut Virgilius à Platonicis hausta fabulis, & commentis inuoluit in opere? Non hic ego dicturus sum, quàm ille bona, sed quæ Philosophorum placita probet: adeoque facile me proripiam ab impetu Lactantij declamatorio, qui laxatis habenis, in Virgilium inuehitur, quòd ille pius, ille integer, ac sanctus Imperator Aeneas humanas vmbris victimas immolare non dubitet: nec animaduertit, ipsum se pugnare cum vmbris, hoc est antiquorum reprehendere superstitionem, cum se putat inconstantiæ, ac fatuitatis accusare Virgilium. Is enim eorum eruditus opinione, docentium, cæsorum hominum animas, & delectari cognato sanguine, & miserrimas, atque errabundas esse, nisi earum iniuriam, ac mortem aliquis apud viuos vlciscereturAeneam in eo totum esse voluit, atque illud vnum agentem fecit, vt Pallantis placaret Manes, vel sacrificio, vel vltione. Quare iuuenes illos quatuor

--------- Sulmone creatos
Viuentes rapit inferias, quos immolet vmbris.
Inde Mago procul infensam cum tenderet hastam,

amplectenti genua, & supplicanti

----- galeam læua tenet, atque reflexa
Ceruice, orantis capulo tenus abdidit ensem.

Et Turnum obtestantem, per Anchisæ Manes, mortemque deprecantem interimit: cui sine dubio dedisset veniam, nisi Pallantis animam errantem, atque sollicitam illo sanguine mollire, ac requietam reddere voluisset. Non id, inquam, mihi propositum est, vt tueri velim in præsentia Platonicorum, ac Pythagoreorum somnia: sed placet tamen, ad Virgilium illuminandum, eorum de nostrarum animarum in corpus depressione natali, quantumuis absurdas, ementientesq. retexere sententias. Ab hoc enim exordio vitæ capientes initium, in bonorum, ac malorm finibus ita pergunt ipsi philosophari.

Homo sic, vt diximus, à generis sui diuulsus, abstractusq. principio, pestibus infectus, & commaculatus corporeis, aliquam ad felicitatem, vnde digressus est, quærit, & perueſtigat indagando viam. quam quia per se inuenire non potest, istos consulit sacerdotes, & sapientiæ mystagogos, qui dicunt vnam esse virtutem: cuius beneficio detersus humanus animus adipiscatur in vita beatitatem, & secundum obitum de integro cum illa, vnde decisus olim est, diuina, cælestique Mente coniungatur.

Atque

Atq. istud demum est, quod Virgilius illos secutus Antistites philosophiæ, suis in Aenea coloribus exprimit. Eam enim tamquam digito commonstrat erranti viam, quæ ab ipsis vniuersa illa, generalique præceptione describitur. Et quoniam de virtutis officio, ac vi varia quædam, & multa sanè dogmata illi Philosophi tradiderant, excerpsit ex ijs poëta prudentissimus id, quod conficientissimum esset absolutæ, perfectæq. felicitatis. Fuere quippe nonnulli, qui virtutum munera sic distribuebant, vt dicerent, partes esse Prudentiæ proprias, aspectabilem hanc vniuersitatem, & quicquid sub sensus fallacissimos cadit præ diuinarum rerum contemplatione despicere: Temperantiæ, præterire, ac relinquere omnia, quæ corporis, vel vsus, vel voluptas, ac mollitudo requirit: Fortitudinis, ascensum perfectæ philosophiæ sublimem, arduumque non perhorrescere: Iustitiæ, consentientes habere virtutes omnes, atque ad nutum animi iubentis obsequentes. Magnificè isti quidem, & splendidè sic decidunt: sed qui velit hac via in virtutum officijs describendis insistere, is expungat è numero felicium necesse est Magistratus, & Rectores ciuitatum, quibus illud abruptum tam seueræ definitionis ascendere per occupationes, & Reipublicæ negotia non licet. Sapientius itaq. Plotinus istius damnans angustias, malignitatemque sententiæ, quatuor fecit quaternarum genera virtutum ita latè patentium, vt nemini aditum ad felicitatem intercludant. Primas extergentes, ac purgantes appellat: secundas animi iam purgati habitudines, & qualitates: tertias politicas: quartas ideas, & exemplaria nominat. Illud in summa videtur sibi velle Plotinus; è virtutibus vniuersis alias otiosas, & quietas esse, negotiosas alias, atque actuosas: earumque beneficio singularum fieri posse beatos homines, & fines illos bonorum attingere, qui nostræ propositi sunt mortalitati. Priores enim in Philosophos conueniunt, posteriores in Reipublicæ Principes, ac ciuitatum moderatores: adeoque fit, vt hæc duo virtutum genera diuidantur interdum, si minus idem homo, qui felicitatem quærit, ad vtrasque videatur idoneus; coniungantur item interdum, & misceantur, si vtrarumque, vel institutione, vel natura capax animus inuenitur. In solis operosis felicitatem reperisse videtur Romulus; cuius vita numquam otium nacta, negotio fuit assiduo, atque actione quotidiana continenter exercita: in solis otiosis Pythagoras; quem agendi scimus ignarum fuisse, doctrinæq. tantum virtutes, atque ornamenta conscientiæ consecutum: in tertio, ac misto genere apud Græcos quidem Lycurgus, ac Solon: apud Romanos vero Numa Pompilius, Catones ambo, Africanus, alijque minimè pauci, aut obscuri, qui, & philosophiam hauserunt altius, & firmamentum Reipublicæ solidissimum attulerunt.

Igitur

Igitur Aeneas, quia describitur ad similitudinem optimi, vtrarumque fingitur esse capacissimus, atque in vno, eodemque animo perfectionis illius geminæ singulare constituitur exemplum. Sic itaque sudat ille sub armis, virtutibus exercitatus operarijs, vt subsistat interdum, atq. in seipsum quieta rerum abditarum commentatione descendat: sic emicat foras curis euocatus ciuilibus, atque actuosis virtutibus incitatus, vt secum habitet, sibique viuat identidem reuocatus ab otiosis.

Nunc denique hoc agamus. Hominem hunc ita partibus absolutum omnibus inspiciamus à puero: exortum primum in lucem, & corporeis inquinatum sordibus, deinde purgatum, extersumq. ad extremum perfecta quaternarum virtutum complexione felicitatem adeptum. Vultis à purgantibus ordiamur? Hinc enim ducendum esse videtur initium, vnde relegere primum incipimus ad felicitatem viam. Troiæ nascitur Aeneas, Troiæ puer alitur, educatur, adolescit, hoc est in vrbe molli, voluptatibus, ac delicijs diffluente: quia de cælo delapsus in corpus impurum diuinus, & castus animus, ipso statim initio facile corrumpitur illecebris, & cupiditatibus, illo nimirum expressis incendio, quo felix Ilium, & Troia ipsa voluptaria concrematur. Sed ecce tibi repente Venus, hoc est recta ratio: quæ flammis interceptum Aeneam admoneat, vti quàm primum excedat, ab eoq. se subducat incendio, quo delicata illa ciuitas est peritura. Non enim hæc illa vulgaris est Venus, inimica consilio, & rationi, sed alia quædã cælestis, à Platonicis ipsis excogitata. quibus idcirco rationem hominis rectam appellare placuit Venerem, quòd sic ipsa ratio virtutes pariat vniuersas, quemadmodũ Venus gignere putatur omnia, quæ nascuntur in terris. Itaq. in eadẽ vrbe simul Aeneas alitur, & Paris, vterque morem gerens, atq. obtemperans Veneri: sed quia vulgarem hic audit, interit cum patria voluptatibus inflãmata: ille, quia cælestem sequitur, per tela, per hostes periculis perfungitur omnibus, euadit ex incendio liber, nauigat in Italiam; hoc est ad eam cõtendit animi, corporisq. felicitatem, quam ei recta ratio demonstrauit. Quod cum facit, purgãtis officia virtutis obit omnia: quæ non alia Platonicis sunt, nisi ea ipsa, quibus, vt paulo ante cõmemorauí, sic definiebant, & circumscribebant aliqui beatitudinem, vt eam Regibus, atq. in temperanda Republica occupatis hominibus omninò abiudicatam, & denegatam vellent. Si enim in hoc purgantis genere virtutis prudentiæ dicitur esse, aspectabilia omnia, & corporata præ cælestium rerum amore negligere, quis Aenea prudentior, qui Troiam, hoc est, ipsum Regnum voluptatis, atque Asiam, delicatissimam illam regionem deserere non dubitat, vt Latio tandem aliquando potiatur, vbi suis absoluta numeris virtus Imperium instituet nouum, & cælestem comparabit

parabit immortalitatem? si temperantiæ, repudiare, ac nolle quicquid ad corporis, vel vsum, vel oblectamentum efflagitat animi cupiditas, quis eo temperantior esse possit, qui Barbaricum illud aurum,& Phrygiam gazam, aut hostibus ipsis facilè permittit, aut igni corrumpi securo animo patitur: nec secum exportat aliud, nisi Penates illos, & sacra, quorum aspiratione secunda nauigationi moderetur,& velificetur suæ? si fortitudinis, ascensum illum, quò ductu Philosophiæ contendit animus, non reformidare, nemo sanè fortior Aenea, qui non modo tempestatibus immensi maris, monstrisque terribilibus obseptum ad beatitudinem iter non extimescit, verum etiam contra semper eo vadit audentior, quo maiora sibi obiecta esse pericula vel ab iratis Dijs, vel ab incommodis hominibus intuetur. si iustitiæ, faciles, dictoq. propemodum audientes habere virtutes omnes ad terendam propositi viam, nullus profectò iustior Aenea videri debet, qui ad bonorum illum apicem,ac metam sibi commonstratam diuinitus, religione,consilio, liberalitate, constantia, ceterisq. virtutibus tamquam accensis, atque apparitoribus antepræeuntibus,conuolat in Italiam. Neque vero illa apud Didonem remansio facit, vt minus sibi constare videatur in ea purgatione Virgilius. Nam qui hoc studio virtutis abstergentis expiantur, offendunt interdum ad scopulum aliquem, nec omni casu, ac prolapsione redduntur immunes, nisi cum inueterato iam habitu, diuturnaq. consuetudine confirmatus est animus, aut, quemadmodum ipsi loquuntur Platonici, cum defæcatus est, atq. ab omni rerum fluxarum aspergine purè, presèque detersus.

Quem habitum, confirmationemque probitatis quia sibi demum parauit Aeneas à Didone digressus, huius etiam virtutis officia, quæ purgati iam animi est, ex eorundem doctrina Philosophorum ita distinguamus in partes. Hic prudentia, non tamquam in deliberatione, diuina terrestribus anteponit, sed illa sola cognoscit: temperantia cupiditates extraordinarias, atque effrænatas nō modo reprimit, verum etiam obliuiscitur. fortitudo perturbationem iræ non tam vincit, quàm prorsus ignorat: iustitia sic hominem cum diuina mente coniungit, vt ibi animus æquali tenore, atque indissolubili fœdere retineatur. Ad summam, vt vno verbo complectar omnia, eò deuoluitur hæc istorum oratio, vt significet, animum purgatione cumulatissima detersum, ac mundum ita se totum in diuina transferre, vt à terrenis, atque adeo à corporis sensibus alienatus, ipsam propè videatur induisse diuinitatem. Cum igitur hunc felicitatis gradum, & mente comprehenderet,& possessione iam teneret Aeneas, ad Inferos vsque, hoc est ad animi sui commētandam originem ex ipsa Dei contemplatione descendit. Huc enim Plato ipse, dum per singula vestigia

gia Deum inquirit, sæpè, ac subinde diuertitur: quòd existimet, in hominis anima tamquam in speculo diuini vultus imaginem facilius colluscere. Ille itaque descensus ad Ditis concaua nihil sibi vult, & significat aliud, nisi animi quandam abstractionem à corpore: qualem prorsus accidisse Philosophorum multis aliqui memoriæ prodiderunt. Nam quod vulgò pene dicitur, Epimenidem illum Cretensem ipsos solidos annos dormisse quinquaginta, Pythagoram latuisse decem, viginti Zoroastrem; id illi sic interpretantur, vt velint, à sensibus toto eo tempore alienos, excellentissimam, ac prope cælestem philosophandi rationem tenuisse. Quin huc referunt, atque ad hunc abscessum pertinere putant quod de Socrate scripsit Plato, ab exoriente sole ad occidentem vsquè solitum fuisse eodem in loco, ijsdemque plane vestigijs insistere cogitabundum, oculis numquam, aut conniuentibus, aut aliorsum coniectis. Nec aliunde, nisi ab ea commentationis excelsæ præstantia factum volunt, vt Plato, cum sæpe inter philosophandum abduci soleret à sensibus, è corporis vinculis omnino in ipsa demum abstractione decesserit. Sed admirabilitatem omnium maximam facit in hoc argumento Porphyrius, etiam ipse è Platonicorum egressus officina. Ait enim, Plotinum magistrum suum cum repentina totius oris mutatione solui solitum frequenter à corpore, eoque tempore mira quædam inuenire, quæ scriberet, & cum discipulis communicaret: seipsum vero, cum ageret octauum, & sexagesimum ætatis annum, à Numine correptum semel inter commentandum fuisse, subitòque à sensibus, & corpore longe seductum.

Huius ergo gnarus, apprimeque sciens philosophiæ poëta doctissimus, noluit in eo, quem informabat ad optimi speciem, eam contemplationis excellentiam desiderari, quæ sapientes in seipsos tam altè demergit, ad cælestia tam sublime sustollit. Quapropter ad Inferos illum compulit, veluti commentatione quadam obdormiscentem, & consopitum grauissima, vt de male, recteue factorum supplicijs, ac præmijs, de animi nostri natura, & vi, de ipsa rerum serie futurarum, institutione castissimi parentis edoceretur. Quo loco mihi venit in mentem illud obseruatè, curiosèq; considerare, eo potissimum tempore in altissimam illam rerum cõmentationem Aeneam descendisse, quo tempore Carthaginem, hoc est inuitamenta voluptatis omnia reliquerat, ac de libidine cumulatissimè iam, perfectissimeq; triũpharat.

Memini quippe, apud quosdam me Platonicos legere, septem esse vacationis genera (sic enim ipsi aberrationes illas à sensibus, atq; abstractiones à corpore nominant) septem inquam esse vacationes, quibus animus ita supra corpus, ipsamq; mortalitatem euehitur, vt non modo res abditas, penitusq; repostas intelligat, verum etiam de venturis sæpe diuinet, & breui, longoue post tempore futuras vaticinan-

do denunciet. Primam eiusmodi vacationem aiunt in somnis euenire, sobrijs præsertim hominibus, ac temperatis: quorum videlicet animus facillime arcana fluxione diuini luminis illustretur. Secundam fieri volunt ab ea cordis, animæq. defectione, quam medici Græco vocabulo syncopen, nostro concisionem appellant. Illum in hoc vacationis genere perhibent, atque admirantur Enarchum: qui cum ex ea spiritus incisione pro mortuo iam habitus esset, & comploratus à medicis, de improuiso reuixit, affirmauitque, eo se tempore non moriturum, sed Nichandam quendam nobilem ea tempestate palaestritam; statimque Nichandas ipse in exitiosissimas incidit febres, ac mortuus est; Enarchus vero planè conualuit: viuebatque vigens, ac florens, cum ea, quæ dixi, fidelissimis litterarum monumentis consignabat Plutarchus. Tertiam in eius humoris contractione ponunt, quem Latini bilem atram, Græci melancholiam nominant. Illo enim humore præter modum coacto, fieri dicunt, vt anima non minus homine vigilante vacet, quàm vacare consopito soleat, & dormiente. tantoque concitatiores reddi, quàm ceteros, qui sunt ita, vel natura, vel morbo constituti, quanto densa rerum corpora, cum accenduntur, efferuescunt magis, & vehementius exardescunt. Eiusmodi Socratem fuisse credunt: quem Aristoteles melancholicum facit, & multa præsensisse, ac prædixisse ciuibus suis aliqui scriptores affirmatè contendunt. Quartam ex omnium humorum conuenientia, & consensione mirabili arbitrantur existere: quae sicut in Alexandri corpore odorem illum excitabat suauissimum, ita in aliquibus ad numerum propè temperatis ipsam queat vaticinandi facultatem ingenerare. Plotinum ita factum, & compositum putant: quem eius auditor Porphyrius testatur, insitos cuique mores, occulta mortalium facinora, futuros euentus, atque impendentes casus vsque adeo intellexisse, vt, cum Porphyrius ipse de se interficiendo cogitaret, id ille persenserit, eumque perincommodum animi motum, qua pollebat auctoritate prohibuerit. Quintam otio tribuunt, & solitudini: vbi nimirum animus obstrepentis vitæ negotijs absolutus, ea tantummodo reputat, quæ sunt in cælo, stellis illis, tamquam sacris Aegyptiorum characteribus exarata. Hoc ex fonte Zoroastres, hoc est ex viginti annorum otio in remotissima solitudine traducto, eam præsentiendi rationem hausisse credebatur, quam in libris de diuinatione scriptam posteritati reliquerat. Sextam effici ab admiratione comminiscuntur. Ita quippe feminas illas diuinas, quæ dictæ sunt Pythiæ, res futuras existimant fuisse vaticinatas. Cum enim in Apollinis antrum superstitionis plenæ secederent, ibique attentius de Numinis ipsa præsentia cogitarent, tanto, quemadmodum ipsi dicunt, & horrore perfundebantur, & hærebant stupore, vt à sensibus alienata mens, solisq. rerum futurarum euenti-

bus

bus expoſita, præſagiret interdum, & diuinaret, in ijs præſertim rebus, de quibus ipſæ conſultæ fuerant, & cum conſulentibus ante deliberarant.

Ad ſeptimam aliquando veniamus: in qua Platonici reſipiſcunt. Sunt enim ex illo dementium genere, qui non ſemper delirant. Nec ſum ego ſic hebes, quin intelligam, & probe ſciam, tam eas philoſophantium abſtractiones à corpore, quàm has vaticinantium vacationes, partim eſſe confuſa veris mendacia, partim improborum ludibria Dæmonum. Sed ipſa quoque proferenda fuerunt deliramenta, vt adiectam vanitati ſapientiam ſecerneremus. Aiunt ergo, ſeptimam vacationem omnium præſtantiſſimam eſſe: hoc eſt eam, quæ à vacuitate libidinis, abſolutaq. caſtitate progignitur: adduntque rationem longè pulcherrimam, & quæ videatur à Chriſtianorum doctrina non abhorrere. Affirmant enim, caſtorum hominum animas non quidem ad tempus, vt ceteras, ſed continenter, ac ſemper eſſe Dei optimi maximi delubra quaedam, & fana ſanctiſſima: adeoque ita res arcanas aſſiduè noſſe, ac ſæpiſſimè vaticinari, quemadmodum conſulentibus populis oracula, & reſponſa redduntur in templis. Nihil ſapientius poterat, aut ijs, quae à religionis noſtrae traduntur auctoribus, congruentius dici. Video quippè Hieronymum exiſtimaſſe, Sibyllis, quamquam vanos illos Apollines, & commentitia Numina colerent, à Deo tamen ipſo, veritatis auctore, datam fuiſſe diuinationem; vt ijs inſigne quoddam eſſet ornamentum, & praemium ſpectabile virginitatis. Nec aliorſum, quàm in hanc ipſam virginitatis gratiam alij Patres, magiſtriq. religionis id factum accipiunt, quod de Claudia, & Tucia Veſtalibus à Plinio commemoratur. quarum prima cum in ſuſpicionem veniſſet ſtupri, ad probandam pudicitiam ſuam, nauem in vado Tyberis haerentem cingulo duxiſſe fertur, quam multa hominum millia mouere loco, ac machinamentis pertrahere non potuerant. altera cum ſimiliter argueretur inceſti, pertuſum in fluuio cribrum demerſit, hauſtamq. penitus aquam ad Deae templum pertulit, cuius ſacra turpi polluiſſe flagitio putabatur. Ac ne noſtros praeterire videantur taciti, dum ſic admirantur, & laudant alienos, hoc etiam addunt: Ioannem illum, quem ex Apoſtolis vnum propter excellentiam, atque praeſtantiam ſcimus ab antiquis appellatum eſſe Theologum, idcirco diuinitatis penetrale pulſaſſe primum in cœnaculo, dein etiam in Inſula Patmo aperuiſſe, quòd quamquam alijs fortaſſe partibus non vinceret ceteros, caſtitate tamen, ac virginitate vnus omninò antecelleret omnibus. Quin arbitratur etiam Auguſtinus, ruſticulum quendam ſua ipſius memoria ideo ſolitum fuiſſe à corpore ſaepe, multumque diſtrahi, & rerum interea miracula quaedam inaudita cernere oculis non corporeis vigilantem, quod eſſet

virginitate præstabilis,atq; insigni castimonia nobilis inter suos. Ita Platonici; qui tam sæpe fucum rectæ pietati facere velle videntur, cum nostris interdum effatis, & religione consentiunt. Quapropter, vt ab hoc diuerticulo me recipiam, quò illa commentãtis Aeneæ repens ad Inferos itio deduxit orationem meam, illud iterum magna voce pronuncio, scitè satis à Virgilio, & Platonicorum philosophiæ congruenter in illo contemplationis expletæ gradu Aeneam tum collocari, cum protrita libidine, ac mulierositate prorsus erasa, ad supremum iam fastigium euaserat absolutissimæ castitatis.

Sequuntur verò nunc illæ politicæ virtutes, quæ ciuium tuentur salutem,socios tegunt, alienos deuinciunt, omnes deniq; omni officiorum genere demerentur. Frustra enim purgantibus illis, & tamquam piacularibus animi virtutibus extergitur, ac lustratur is, qui quæritur, & fingitur optimus, nisi ab illo cogitationis vmbratili studio,mentisq; latibulis emineat aliquãdo foras; quæque diuturno cõmentatus est otio,proferat in vsum ad publicas aliorum hominum commoditates. Quare quod quæri sæpe solet inter sapientes, ac doctos: an Homero Virgilius sit anteferendus,hoc loco profligari facillime potest. Non enim Virgilius,quod ab Homero,illo duplici factum Iliadis,ac Odysseæ videmus opere,virtutes hasce multiplices separauit,alijs fortitudinem actuosam,alijs otiosam,quietamq; sapientiam tribuens: sed summa calliditate, atq; artificio id demum effecit, vt quæ distracta inter se videbantur esse, ac longissime dissidentia, in vno,eodemque Imperatore concordissimè coalescerent. Ac né ab ijs agentis animi virtutibus abeamus, de quibus modo cœpimus explicare,videte quantum ipsarum officia operosa cum illa superiorum requiete conuenientiam habeant, & consensum.

Principio ab ea commentatione tandem emersus Aeneas, confestim in Formiano littore Caietam excitat; quia prima ratio politicæ prudentiæ videtur ea esse, vt cœtus hominum, & concilia celebret, quemadmodum apud Tullium docet Scipionem auus Africanus. Descendit in Italiam. extemplo centum allegat oratores ad Latinum. Quanta porro ea sapientia, quanta religio fuit? Ingruunt ex improuiso bellorum motus. quanta in conquirendis inter hostes auxilijs solertia,quanta in Ascanio, Troianisq; tuendis animi circumspectio? Fortitudinem intueri placet? Ecce tibi vnus omnia contra tela Latinorum: immo verò aduersus omnem Italiam, & prope genus ipsum humanum vnus Aeneas. Et quoniam fortitudo non in aggressione periculi tantummodo cernitur,sed multo sæpe maxime in perpessione rerum asperrimarum, hem in acie vulneratus, sagittaque introrsus adacta periculosè confossus.

Saeuit, & infracta luctatur arundine telum

Eripere;

Eripere; auxilioque viam quæ proxima poscit,
Ense secent lato vulnus, telique latebras
Rescindant penitus, seseque in bella remittant.

Quod cum fieret, doloris ille quidem, ac periculi securus sui, sed moræ, cunctationisque prorsus impatiens.

Stabat acerba fremens ingentem nixus ad hastam
Aeneas magno iuuenum, & mœrentis Iuli
Concursu, lacrymisque immobilis.

Fortitudinem excipit Temperantia. sed qualis, & quanta virtus? Illa profecto, quæ non modo voluptarijs inimica cupiditatibus sit, sed quæ opibus etiam ipsis irata, magnificè, sublatèque dicere possit. Nec mi aurum posco. Ferro, non auro vitam cernamus vtrinque. Non enim is est Virgilianus Heros, qui raptati, atque distracti cadauer Hectoris, supplici, lacrymantique Parenti prætio vendere non erubescat, sed qui sponte, minimeque rogatus Lausi corpus intactum, ornatum armis, & muneribus Tyranno remittat: quique pollicenti thesauros amplissimos Mago respondere non dubitet.

Argenti, atque auri memoras quæ multa talenta,
Gnatis parce tuis.

Nihil de clementia dicatur: quæ in ipsa etiam inimicorum clade potuerit ingemiscere. nihil de modestia, de verecundia, de alijs huiusmodi partibus, ac formis, quæ Temperantiæ tamquam capiti subiunguntur. Iustitia satis est, quæ claudit omnium agmen, vincitque reuerentia ceteras, & sanctitate. Vides quemadmodum in illis ipsis terris, quarum possessionem ab oraculis, & Dijs volentibus acceperat, nemini bellum indicit, nisi superba, intolerandaq; lacessitus iniuria? Vides quemadmodum inuitus ad hostium cædem pertrahitur, & arma illa fatalia tractat ingratis aduersum eos, à quibus tam temere intelligit esse amicitiæ leges, & ius hospitij violatum? Audis eam, quæ Latini Legatos excipit, ad Latinum remittit, egregiam vocem, inaudita cum significatione iustitiæ, ac probitatis?

Pacem ne exanimis, & Martis sorte peremptis
Oratis? equidem & viuis concedere vellem.

Quid igitur huic supereſt tam exaggeratæ virtuti, nisi coronamentum à reliquis, quæ ideæ, atq; exemplaria nominantur? Nam si aliarum rerum perfectæ illæ formæ in mente diuina recte collocatæ putantur à sapientibus, multo Platonici rectius in eadem ponendas existimant virtutũ imagines absolutas; à quibus ordine reliquæ defluãt, & cum mortalibus ipsis à Deo parente optimo cõmunicentur. Ex his verò quid delibare poterit ille beatus, cuius felicitati postremam aliquando Virgilius admoturus est manum? multum profecto, atque id

omnino,

omnino, quod diuinum, & perfectissimum est. Turno enim è numero viuentium expuncto, parta demum pace, turbisq. compositis omnibus, ad cõmentationem illam excellentem de integro reuertitur; ipsa penitus in Numico diluta mortalitate, fit Deus: ac si minus ideas illas, ijs certè simillimas inuenit in cælo: nec habet vltra quò progredi possit Platonicorum animis informata felicitas. His quippè gradibus ipsi humanum animum ad beatorum domicilium ducunt; rati, è quatuor ijs virtutibus aliquas esse, quæ molliant perturbationes, ac mitigent, alias, quæ prohibeant, alias, quæ prorsus obliuiscantur: postremas denique, hoc est illas caelestes, in quibus piaculum, & nefas sit commotiones, affectusq. nominari.

Ceterum dicet aliquis, esse me præuaricatum in causa: qui non animaduerterim, ex hac ipsa doctrina Platonicorum intelligi, curtum esse, præcisumque Virgilij poëma, vbi videlicet Aeneas, non ad beatitudinem quidem illam cælestem euehitur, sed relinquitur in procinctu. Ego tamen haud ita caecutio, vt locum istum non ante prouiderim, atque vnà cum doctis hominibus Maphæi Vegij, vel superuacaneam industriam, vel nimiam, immoderatamq. non admirer sapientiam: qui quadrigis illis affabrè laboratis, apprimèque perfectis à Virgilio, rotam addere voluerit quintam: vt à nobis, qui tam sapientes, litteratique non sumus, esset suo iudicio & voluntate reprehendendus. Non enim vidit seuerus hic Censor, in scribendo sic poëtæ, atque historico variam esse definendi legem, quemadmodum est exordiendi. Non vidit apotheòsim illam, & ea, quæ tam putidè ipse persequitur, indicata fuisse, quantum satis erat, à Ioue, quâ dolorem Veneris, quâ Iunonis iram ita mulcente.

----------sublimemq. feres ad sidera cæli
Magnanimum Aeneam: neque me sententia vertit.
Indigetem Aeneam scis ipsa, & scire fateris
Deberi caelo, fatisq. ad sidera tolli.

Non vidit, ita cæso Turno, finem operis esse debere, sicut in Hectoris præstantissimi Ducis funere clauditur Ilias. Non vidit deniq. poëtas etiam Epicos, nuptias, choros, ludos, actionis, vt semel dicam, reliquias illas permittere legentium animis, quas ipsi Comici liberiores à spectatorum oculis in Theatro porro subducunt.

Hæc super Aeneide perorauimus aliquando. Quàm ieiune, vestrisque parum auribus accommodatè, haud ego nescio, qui me ipsum, meique angustias ingenij non ignoro. Vellem adeo eos imitari, qui postremi prodeunt apud Comicos, in eam gratiam allegati, vt finem fabulæ denuncient, & spectatores è Theatro dimittant. Sed illi plausum, nisi molesti fuerunt, cum exceptione postulant, ego nullum flagitare possum, quia repetita è Platonicorum penetralibus oratio mul-

multum habuit, opinor, moleſtiæ, voluptatis nihil. Video tamen vnum mihi relictum eſſe locum illis fabularum epilogis omninò contrarium, ſed rationibus opportuniſsimum meis. Nam, quia non placuimus, & moleſtiam vobis exhibuimus importunam, ſi minus dicere poſſumus, plaudite; illud certe, quoniam humaniſſimi eſtis, habemus iure petere: veniam date.

2559-441